

Defensio auri fulminantis, purgantis infebribus acutis, propter orgasmum, tempestivi tutissimi tam in febribus secundariis cum symptomaticis, quam in febribus primariis cum criticis abscessibus, contra Georgii Ernesti Sthalii Diagramma [proexeukriseos] / [Pancraz Wolff].

Contributors

Wolff, Pancraz.

Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.

Publication/Creation

Leipzig : F. Lanckisius, 1707.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d7h86jjx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13
14
D. PANCRAII *Wolffens*

P. P. Extraord. & Pract. Halensis

DEFENSIO

AURI FULMI-
NANTIS,

PURGANTIS IN FEBRI-
BUS ACUTIS, PROPTER OR-
GASMUM, TEMPESTIVI,

tutissimi

Tam in febribus secundariis cum symptomaticis,
quam in febribus primariis cum criticis abscessibus,

Contra

GEORGII ERNESTI STAHLII

Doct. & Prof. P. Ordin.

Diagramma Προεξευκρίσεως,

potius crudæ προεκκρίσεως dicendæ,

in

Casu Controverso Halensi

B. Virginis.

LIPSIÆ

Sumptibus FRIDERICI LANCKISIL
M. DCCVII.

81
Hipp. de Victu Acut. III.

Populares & idiotæ non valde cognoscunt medicos, in morbis acutis aliis præstantiores, aliarumque curationum magis aut laudatores, aut vituperatores existunt. Et profecto magnum signum hoc est, quod iidem minime de his morbis intelligentiam habent, veluti quas studio consequi oportet. Nam, qui medici non sunt, medici esse videntur, maxime propter hos morbos. Etenim facile est, nomina ediscere, quæ proferri solent apud ægrotos, his morbis affectos. Si enim quis (febres, crises, purgantia, analeptica, alexipharmaca, diaphoretica) nominarit, omnia hæc eadem plebejis hominibus & meliores & dederiores medici dicere videntur. At hæc res non ita se habet, sed in his sano alii ab aliis differunt.

Ulpianus L. 6. §. 7. ff. de Officio Præsidis.

Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet; ita quod per impritiam commisit, imputari ei debet; prætextu humanæ fragilitatis, delictum, decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet.

Hippocr. de Arte XIII.

Oportebat, dicunt, siquidem ars erat (& medicamentum laudabile) omnibus æque morbis (& ægris) sanitatem afferre. Qui hæc igitur dicunt, si medicis indignarentur, quod ipsorum, talia dicentium, non ut delirantium, curam habent, merito sane succensuerint magis, quàm quod illa reprehendant.



PRÆFATIO.

Verissime Hippocrates noster, L. B. *Hæc jurejurando affirmare possum, inquit: quod medici ratiocinatio nunquam alteri possit invidere, imbecillis enim appareret. Nam hæc magis faciunt, qui circa forensia & questus versantur. Quamquam neque falso cognitum fuerit, quod in omni (consilii) copia inopia insit. Πάσι γὰρ εὐπορίη ἀπορίη ἐνέστι.* Nimirum Cous parens admodum his medicum castigat, in morborum difficultate alteri superinductum, si tum ex maligna æmulatione, quasi circum foraneorum, occasionem arripiat, imperitiæ collegam arguendi, præsertim si quid sinistri, propter summam medicinæ difficultatem, ægrotorum errores, adstantium pervicaciam, præter artem, opinionem, omnemq; culpam ejusdem evenerit. Quando vir honestus casus tales, contra imperitiæ vulgi, & muliercularum gerras atque calumnias, potius excusare, quam earundem ipse autor esse debeat; cum illæ alias, pessimo more, jam nullos morbos per se lethales, sed tantum & medicorum imperitiæ omnes funestos agnoscant. Quod Coi parentis monitum quam male hodierno tempore à quibusdam medicis observetur, sequenti exemplo declaratur.

Honestissima virgo febre, (cujus historia mox recensabitur,) laborans, medicæ curæ meæ se commiserat, germanæ meæ sororis filia; cui, parentibus orbæ, ut me parentis loco coleret, mihi que liberis orbo, ut filiæ loco ipsam peramarem, omnino conveniebat. Genuerat hanc ex B. sorore vir plurimum reverendus, qui vero, illa defuncta, secundis nuptiis aliam sibi junxerat. Quam, *verissime novercam*, mox maxime offendebam, quod damna liberorum ex B. sorore avertere conarer. Cum igitur B. Dn. affinis febre maligna cum erysipelate defungeretur, gravissima me diffamatione illa persequi coepit. Nihilominus laudata virgo consilium rursus meum, eodem jam ter feliciter usâ, petebat; verum noverca, testantibus actis publicis, ut pa-

PRÆFATIO.

rentum meorum acerbos sudores, hæreditario jure huic nepti relictos, Dno fratre sororibusque posthabitis, testamento aucuparetur, consilium inierat. Prima igitur cura erat, ut crassissimis offensionibus ab ægrotæ curatione me removeret, utpote qui maxime consilia hæc pervertere possem. Hoc igitur animo illa non solum, me non salutato, alium medicum (à quo nemo facile, cui negotium cum ipso intercedit, contentione immunis discedit, quemque intellexerat, me jam inimice laceffisse) superinducebat, sed atrocissimis etiam injuriis iterum atque iterum me diffamarat. Quas itaque ad animum mihi revocans, illam actione injuriarum in foro accusavi, ut deprecaretur. Interim ab amicis monebar, in summam mei contumeliam per ora hominum ferri, quasi ex crassa imperitia mea, & violentissimo vomitorio, B. virgo fuisset perdita. Scribuntur hæc Berolinum & ad alia loca, imo illa hinc ad amicos rescribuntur; ideoque unicum consilium hoc mihi superesse videbatur, ut innocentissimo scripto, *Dissertationis de Orgasmo* methodum curandi meam, talibus à contumeliis purgarem mulieris, non collegæ. Quem ita infensum ne suspicari quidem volebam; quemque potius, juxta me, per morbi malignitatem funestissimosque planetarum adspectus, verissimos, excusabam. Verum enimvero brevi resciscebam, illum ipsum gravissimarum harum contumeliarum potissimum autorem esse; qui primum has Dn. Studiosis, collegii sui auditoribus, gravius & monstrosius proposuerat. Hinc in ejusdem *Propemptico quodam Inaugurali*, plebejo & anili acumine me suggillare intelligo; imo in annexa Epistola maligno *syncretismo* illius firmiolus, adolescentulus, omine sui nominis ineptiens, quem ne verbulo quidem unquam offendi, *homicidii reum* me, more famosorum libellorum depictum, nominat. Posthinc candidato Epistola *de Medicarum Opinionum Insomniis* gratificatus eram, quæ tam generalibus sermonibus, & fere non meis, sed aliorum summorum virorum, verbis perstringebam, ut illa quidem speculi cujusdam loco inservire, neminem tamen tangere, possent. Inde vero ille ipse medicus tandem *Hippocratico* meo *πρὸς ἐξουκρῶσιν* de *Orgasmo*, sub titulo *πρὸς ἐξουκρῶσιν*, verius crudam *πρὸς ἐκκρίσιν*, seu judicii præcipitantiam, per *Diagramma*, ex professo de hoc argumento conscriptum, opponit, nomen suum confitetur, & harum calumniarum autorem in mordaci schedio, plurimis odiosis personalibus admistis, se confitetur. Quæ igitur

PRÆFATIO.

igitur, præter genium meum, non injuriandi animo, præfari me oportuit, quod adversarius non solum medicamenti formulam, ipsum tamen controversiæ statum & cardinem, sed morbi quoque totam historiam falsis adulteravit, ut mox convincetur; meam contra, ut falsam, castiget, scribens, *se suam enarrasse, ut ipsi recte nota sit*. Ipse vero fatetur, se non mecum, aut curationis meæ tempore, simul adfuisse; ut itaque testimonio solum ex auditu mulieris, *nobilissimæ dominæ* scilicet (non *matris*, ut illam quidem dicit,) sed novercæ, innitatur: Quapropter utriusque non nisi suspecta testimonia his rejicere, summa me necessitas coëgit. Ego quidem talibus scriptis lubentissime superfederem, praxin meam curarem, aut Hippocratem meum aliosque summos pragmaticos evolverem, ut discens moriar; sicut etiam summa patientia, & in silentio jam ante aliquoties durissimas ejusdem fugillationes, per aliquot ipsius Disputationes & Programmata, pertuli, ex illa sola ratione, quod Hippocratis veritatibus magis, quam docisifophi deliris erroribus *supparasitare*, ut cum obscuro viro loquar, non dubitaverim. Jam enim expertus didici, quam negotia talia non possint non animi affectus movere, corporis humores depravare, tandemque corpus ipsum morbis conficere malignis; sed cum vita famaue pari passu ambulent, tantas quoque molestias haud detrectare debui. Aequum tuum, L. B. judicium rogo, quod à rerum medicarum peritis in re tam evidenti, timere non possum, ut vel ipsa pars adversa jam satis intellexit; imo à nullo viro erudito, qui rationes & argumenta ponderare novit. Sin vero illorum haud capax es, prudentius judicium tuum suspendas, ac virorum, medicinæ peritorum, neque tamen suspectorum, sententias sequeris, quas Responsa Facultatum duarum Medicarum mox Te docebunt; nam in causa propria in utramque partem testimonia & judicia omnino sunt suspecta. Equidem negotium hoc molestissimum, maximeque tædiosum odiosumque, brevitate summa transigere, primum apud animum meum constitueram, sed bibliopola in scriptum mere litigiosum sumtus suos impendere renuebat, rogabatque, ut morbus ipse primario elaboraretur, secundario autem lites tantum attingerentur; cui ergo in his gratificari debui. Inprimis cum controversiam nostram, modo alio stylo methodoque agigaretur, ut ego quidem ex animo doleo, insignem omni-

PRÆFATIO.

no praxi medicæ usum afferre posse credam. Primum enim artis medicæ tyrones ex eadem addiscent, quomodo præcepta medicinæ generalia specialissimis ægrotorū casibus, & quidem in difficillima febrium acutarum materia, debeant applicari. Deinde, à priscis inde usque Hesiodi temporibus ad nostra usque, haud raro *medico medicus invidet*, ut hinc duo quidem caussarum patroni, optimè adversarum partium jura defendentes, sæpius amicissimo poculo vini Rhenani se invicem salutare possint; duo contra medici, ægroti unius salutis recuperandæ junctam operam navantes, inimicissimo animo secum invicem debeant certare, nostrorum quidem regionum ægrotis, pro certissimo ipsorum periculo, illud ipsum flagitantibus. Per nostram itaque controversiam philiater intelliget, quomodo talibus casibus haud insolitis methodum medendi quoque suam ipse valeat tueri. Denique, sicut jam Coi temporibus, ita etiam nostris adhuc, *in acutis febribus in tantum inter se differunt medici, ut quæ alter exhibet, optima esse putans, ea alter jam mala esse existimet, ut fere ob id artem medicam vaticinationi veteres*, (nostrates tempestatum in ephemeridibus prædictionibus) *similem esse, dicant*. Præsertim vero Dn. J.Cti medicinam, omnibus principiis hinc destitutam, sibi persuadent, sicut alias sæpius, & in hac pariter lite forensi mea, intellexi, quasi in ipsa infrunita dissentienti licentia primum præberet artis fundamentum. Unde revera *eo res devenit, ut medicina, omnium artium præclarissima, jam omnium vilissima censeatur*, & circumforaneus aut sordidus empiricus inter ipsos erudito medico præferatur. Aqua injuria medicinam controversia nostra purgabit, dum in Defensionis meæ scripto animadvertetur, non solum plurimum peregrinorum & jam defunctorum Doctorum opiniones communes, illorum more, pro me allegari potuisse, sed quoque Medicarum duarum Facultatum doctissima Responsa exactissime consentire; quod ne quidem de Responsis earundem Facultatum semper observetur. Ut igitur veritatis certitudinem, reliquis Facultatibus sororiantibus communem, neque medicinæ liceat denegare, cum unica incertitudinis, cujus illam incusant, agnoscat causa, quod controversiæ inter medicos tantum agitentur, nunquam vero à Collegiis rerum peritis decidentur; sed *in foro mendacium, juxta puerperæ lectum*, non illius Græcæ

PRÆFATIO.

cæ olim *apud Hippocratem*, sed etiam nostræ Halensis, in quo sententias veritati rarius respondere, nemo prudentum miretur. Quamobrem Boccalini consistorium medicum Parnassi, majori quidem prudentia constituendum, immerito suggillat. Denique supremum omnium indignarum injuriarum justissimum vindicem precor, ut gratia sua me fecundet, quo veritas pressa non opprimatur, hostes ipsi præcipites in foveam, quam mihi pararunt, labantur, & ut *Pancratius* Lupus nomine & omine, tonici *σιδηροξύλα* tela eludam & confringam, ut etiam hoc nomine clementiam divinam, per ætatis meæ jam provectæ dies, animo gratissimo possim celebrare.



Elenchus Capitum.

- C. I.** Historiam morbi veram proponit, & Responsa duarum Medicarum Facultatum, Lipsiensis & Wittebergenfis, subjungit.
- C. II.** Historiam morbi, ab adversario corruptam, examinat, malignasq; censuras ejusdem diluit.
- C. III.** A critico abscessu inflammationem symptomaticam distinguit, eique recursum perniciosum denegat.
- C. IV.** Purgantia lenia & in secundariis, & in essentialibus febribus, cum orgasmo crudorum humorum in primis viis, ut tempestitiva, defendit.
- C. V.** Aurum fulminans à contumeliosis animadversionibus purgatum, in febribus acutis, aliis omnibus laxantibus præfert.
- C. VI.** Arbitrium boni viri medicum, secundum analogismum Jurisprudentiæ constituit.
- Epilogus L. B. personalium admistionem excusat, simulque ineptias simioli, die albertäten des Teutschen D. Michel Alberts/ brevissime castigat.



CAP. I.

Historiam morbi veram proponit, & Respon-
sa duo Medicarum Facultatum, Lipsien-
sis & Wittebergensis subjungit.



S hat/ in verwichenen Jahrs 1706. Novem-
ber, eine vornehme Jungfer/ meine nächste
Freundin/ sich meiner Cur anvertrauet. Sie
war von 19. Jahren/ lang und geschlang /
roth und fast völlig in Gesichte; Hatte biß-
hero viel Gemüths-Kummer und Zorn ge-
habt/ solte die menses vor 8. Tagen richtig
gehabt haben. Der Anfang ihrer Kranck-
heit war gewesen / daß sie bey kalter Lustt /
und trüben Himmel/ vor dem Thor/ auff unsers Neumarcckts Jahr-
marckte gewesen/ und die Nord-Lustt ihr entgegen gingen/ da sie /
heimkommend/ Kopfswehe/ Schnupffen und bösen Hals geklaget /
mit Schmerken in Schlingen.

Den Donnerstag um den Mittag hatte sie ein Frost überfallen;
Freytags besuchte ich sie auff ihr Verlangen/ des nachmittags / da
ich sie antraff etwas blaß und verfallen in Gesichte/ kunte nicht auß-
ser dem Bette dauern/ klagte Kopfs u. Rückenschmerken/ habe keinen
Schlaff/ der Hals thue in Schlingen wehe/ der Puls war schwach/
die äußerliche Hitze wenig/ mit mehr innerlicher/ es schlieffe mit einem
Kriebeln biß in die Finger vor / öffters die ganze lincke Seite
ein / warffe sich in einen in Bette herum/ könne nicht viel süßes ver-
tragē / bekomme darauff Grimmen / nach der Arth unserer gangen
Freundschaft. Worauf ich gab: R. Aqv. melissæ, cortic. citri. aa unc.
ij. Pulv. cinnabarino-diaphor. n. d. Sacch. Canar. aa dr. j. M. D. S. bald

Damit anzufangen/und des Nachts fortzufahren. Hierneben wolte die Stieff-Mutter mit Hafergrüze den Hals ausgurgeln lassen/und eusserlich auff denselben ein zertheilendes Säckgen/offters wie der gewärmet legen; welches sie sonderlich lobete/als bey einem Hn. Studiofo von Adel guth befunden zu haben. Bey meinen Abschied sagte ich dieser/daß mir der Zustand nicht gefiele/und sey sie gar zur Unzeit frantz worden/wegen der vielen bösen adspecen.

Sonnabends als ich sie des morgens besuchte/die Mistur noch nicht die helffte verbraucht war/sahe *urina citrina subspissa*, hörte ich/sie habe besser geruhet/auch ein wenig geschwizet/der Hals thue nicht mehr wehe/war wohl ein wenig leidlicher/warff sich auch nicht so gar sehr mehr in Bette herum/sey 2 Tage verstopfftes Leibes/der Kopff und Rücken thue noch wehe/die eusserliche Hitze war nur natürlich/die Zunge aber weiß/der Puls schlug auch nicht starck. Worauff ich in die Apotheke verschrieb: *R. Antimon. diaph. Pulv. bez. Senn. aa. gr. viij. aur. fulmin. gr. iv. M. F. Pulvis. D. S. so gleich/als fertig/zunehmen.* Dieses hatten sie in das Haus geschickt aus der Apotheke/daß ich es nicht zu sehen bekommen. Nachmittags 2. Uhr ward mir durch einen Boten zuwissen gethan/die Jungfer sey sehr frantz. Als ich hierauff gleich hin kam/fande ich sie mit grossen Wimmern über das Herze klagen/fast kalt und ohnmächtig/dabey die lincke Seite mit einschlieffe; Die Stube war fast kalt; ich verstund darneben/sie sey biß in den Mittag ganz fein gewesen/habe auch etwas Löbiguner Biersuppe/mit appetit,genossen; Hiernach aber habe sie 3. Stulgänge bekommen/un sey also frantz worden; indem brach sie viel graßgrüne *materiam* weg/worauff die Herzens-Schmerzen/auch die Ohnmachten und Erkaltung etwas nachliessen. Ich erinnerte/man mögte die Stube besser einheizen/und mit einen Wärmstein den Leib wärmen/weil dieses in voriger cur der Masern/da solches Reissen auch einen Tag dazu kam/das beste that. Alleine die Stieff-Mutter antwortete/es habe die Jungfer bereits so grosse Hitze; Welche nachdem zweymal ganz graßgrün weggebrochen; indem ich unterdessen in die Apotheke gangen war/wegen des Recepts mich zu erkundigen/massen ich in eben derselben vielfältig dieses *aurum fulminans* wol gar zu vi biß viii gran verschrieben habe/dergleichen aber niemahls erfolgt; über dieses auch die Stieff-Mutter beständig vorgab/es sey des Pulvers ein ganzer Löffel voll gewesen/gestunde doch dabey

es habe grau ausgesehen / und wären Goldblättern (von pulv. bez.) mit untergeschnitten gewesen. Ich erfuhr aber in der Officin. daß es der Apotheker selber / und nach meiner prescription, verfertigt habe / wiese mir das Glas / worinnen von diesen Gold-Pulver nicht viel mehr übrig war / daß es also von keiner neuen elaboration / sondern noch von der alten sey. Ich hätte hierauff gerne die escl. castorei cum spir. cornu cervi vinoso gegeben / durffte aber wegen der Stieff-Mutter nicht / so nicht allein einen alten Haß zu mir hat / sondern auch alle volatilia, als höchstschädlich / schimpfet; verordnete derhalben nur essent. castor. dr.ß. aber auch diese wolte niemand eingeben / biß die Fr. Schwester kam / und ihr davon eingab. Als nun gegen Abend diese exacerbation remittirte / die J. Patientin erwarmet / stiller lag / das Herze nicht mehr so sehr klagte / durffte ich nicht mehr ordnen / als escl. cortic. aur. dr. iß. D.S. 60. Tropffen 2 mahl heut zu geben. R. Antim. diaphoret. gr. XV. D.S. Morgenfrüh zu nehmen.

Sonntags morgens sahe der Urin dicke getrübt / die seel. Jungfer lobete / daß diese Tropffen ihren Magen sehr gut gethan hätten / da sie doch noch nicht ganz verbraucht waren / habe die ganze Nacht geschwitzt / schwinde auch noch; habe wohl nicht geruhet / auch sey ihr zuweilen eine Angst an das Herze kommen / habe auch Krämpfe gespühret / es sey aber doch alles leidlich gewesen / habe dabey weder Schauer noch erkalten gespühret. Nachdem redete sie munter und frisch / konte im Bette aufsitzen / es kähme ihr aber das eine Auge kleiner vor / da doch weder ich / noch sonst iemand etwas daran sahen; Hatte noch von der escl. cortic. aur. so sie erst verbrauchen sollte. Nachmittags fand ich sie annoch in dergleichen Leidlichkeit / und verschrieb: R. Bez. min. scr. j. Cinnabar. antim. scrup.ß. M. F. Pulv. divid. in 2. p. æqv. D. S. eines Abends / das andere morgen früh. R. escl. castor. zij. D.S. 60. Tropffen bald nachmittags / und sonst auch vormittags zu nehmen. Es stümpfete aber die Stieff-Mutter darauff / es sey zu hitzig / nach des neuen / bereits heimlichen / medici Grillen. Des Nachts 10. Uhr wurde ich / wegen eines neuen paroxysmi, wieder verlangt. Ich fand die Jungf. Patientin fast kalt / ohnmächtig / mit sehr schwachen Pulse / klagte über das einschlaffen der linken Seite / sie hatten ihr von der escl. castor. kaum 30. Tropffen gegeben / von denen Pulvern aber noch keines / mein Rath ward nicht mehr verlangt. Unterdessen hatte die Stieffmutter / wieder der Freunde Willen / so mich von der Cur vorher nicht las-

sen wolten/ den andern Medicum selbst holen lassen ; welchem sie unter andern in meiner Gegenwart erzählte/ daß sie die J. Patientin mit einer Mandelmilch recht gestärket hätte/ welche sonder Zweifel sehr süsse gewesen/ als von ihr selbst/ mit sonderlicher Kunst/ zu gerichtet. Der Medicus, ohne einziges Entdecken seiner Meinung von der Kranckheit/Art/ sagte: Ob er mit meiner Permission einen pulverem nitratum geben möchte? welches ich ihm zuverbiethen nicht vermochte/ und wohl wuste/ daß mein Errinnern nichts gelten würde. Weil ich nun nicht weiter verlangt worden/ bin ich nachdem aussenblieben ; Mittwochs den 24. Novembris ist sie gestorben.

Wannenhero/ nebst beygefügter vorgesezten historia morbi, über folgende Fragen/ derer hochlöbl. Medicinischen Facultäten aus Leipzig und Wittenberg Responsa verlangt/ und erhalten worden/ welche zu ieder Frage alsobald beygefüget:

(1.) Ob in vorgesezten casu der francken Jungfer/ der in Schlingen schmerzhaffte tumor im Halse/ nicht nur eine schlechte faucium inflammatio zu achten/ welche/ nach dem Hippocrate, von einer angina zu unterscheiden?

Resp. Facult. Lipsiensis: So geben wir nach gnugsamer Überlegung aller hierbey angeführten Umstände/ zu verlangter Antwort: (1.) daß der/ sub lit. A. beschriebene schmerzhaffte tumor im Halse/ und die dahero entstehende Verhinderung in Schlingen/ bey der francken Jungfer bloß und allein pro simplici & catarrhali faucium inflammatione, und welche von einer angina (a) leicht zu discerniren/ zu achten gewesen.

Resp. Facult. Wittebergensis: daß derselbe uns einen casum zugeschieft/ welchen wir pro febre catarrhali maligna halten/ zc. so geben wir nach collegialischer Überlegung der Sache/ zur verlangten Antwort: daß (1) bey der francken Jungfer der schmerzhaffte tumor colli, so in Schlingen bemercket worden/ vor keine angina (a) zu achten; alldieweil respiratio und deglutitio nicht würcklich verhindert worden/ und der Schmerzen gar bald nach dem Schwitzen nachgelassen.

(a) Confer hujus Defens. C. III. §. IV.

(2) Ob nicht angina, und noch mehr eine solche geringe faucium inflammatio, als vor dem Schauer und Fieber bereits gewesen/ keinen abscessum criticum, sondern nur einen symptomaticum bedeutet? Lipsf.

Lipf: So zeuget auch (2) weder angina, noch vielweniger eine solche faucium simplex ac leuior inflammatio, welche allbereits vor dem Schauer und Fieber gewesen/ einen abscessum criticum, sondern vielmehr nur einen symptomaticum an/indem ja crisis febrim folget/nicht vor derselben hergehet. (b)

Witteb: Auch ist II. dieser tumor colli dolorificus, so von äusserlicher Kälte entstanden / und vor dem Schauer und Fieber schon vorhanden gewesen / nicht pro abscessu critico, (b) sondern vielmehr pro symptomate febris catarrhalis zu halten.

(b) Confer Cap. II. §. VI. Cap. III. §. V. & VI.

(3) Ob von solchen abscessibus symptomaticis, nicht criticis, ein recursus zu befürchten / welcher schwere Zufälle / ja den Todt selbst verursachen möge?

Lipf: Dañenhero auch (3) von dergleichen abscessibus symptomaticis, als wie beschriebene faucium inflammatio gewesen / man einen solchen gefährliche recursum materiæ peccantis (c) zu befürchten nicht gehabt / vielweniger so schwere Zufälle / und den Todt selbst / verursachen mögen.

Witteb: Und ist also III. von diesen symptomate kein recessus (c) zu besorgen gewesen / zumalen da fudorifera exhibirt / und diaphoretica (d) gerathen worden. (NB.) Wo nur nicht sonst ein error in der diæt vorgegangen ist.

(c) Confer Cap. II. §. VI. Cap. III. §. II. VI. VII. (d) Cap. III. §. IV. & VII.

(4) Ob daher / daß diese schlechte faucium inflammatio durch äusserliche Wärme und Schweiß bald zertheilet worden / ein solcher gefährlicher recursus abscessus critici zuachten sey?

Lipf: Wie denn auch (4) nicht zuvermuthen / daß da diese simplex faucium inflammatio durch eusserliche Wärme und Schweiß bald zertheilet worden (e) von diesen remediis ein sehr gefährlicher recursus oder retrocessio abscessus critici, und dessen causæ, zu vermuthen gewesen.

Witteb: Hat auch IV. daher / daß dieser tumor juxta leges artis durch eusserliche Wärme und Schweiß zertheilet worden / (e) kein regressus materiæ peccantis entstehen können.

(e) Confer Cap. III. §. IV. & VII.

(5) Da nun solches geschehen / ehe das purgans eingenommen worden / solchen Schuld zu geben / es habe ratione recursus critici, die bösen Zufälle und den Todt verursacht?

Lips: Vielweniger ist (s) dem beschriebenen laxanti (f) einige Schuld bezumessen/ als hätte solches metastasin criticam gehindert/ materiam peccantem zurücke getrieben / und also die bösen Zufälle/ ja den Todt selbst verursacht; da es weder in incremento, noch statu, sondern erst in declinatione tumoris gegeben worden.

Witteb: Da nun V. materia stagnans, ehe das aurum fulminans eingenommen worden/ schon discutirt gewesen/ so kan diesem nicht schuld gegeben werden/ daß es den motum criticum turbirt/ und den Todt verursacht haben sollte.

(f) Confer Cap. III. §. VII.

(6) Ob nicht in principio febrü, nicht nur secundariarum, in anginis, sondern auch essentialium, cum abscessibus criticis, erysipelate, arthritide, variolis, gestalten Sachen nach/ propter orgasmum & cruditates primarum viarum, gar sicher ein gelindes Purgans, sonderlich aber das aurum fulminans, lege artis præparatum zugeben sey?

Lips: Zumaln (6) auch in principio februm, nicht nur secundariarum, v.g. in anginis, sondern auch essentialium, cum abscessibus criticis, erysipelate, arthritide, variolis, gestalten Sachen nach/ propter turgescientiam & cruditates primarum viarum, gar sicher ein gelindes purgans, sonderlich aber das aurum fulminans, lege artis præparatum, (g) gegeben werden mag / ja es ist dergleichen evacuatio in bemeldten casibus meistens höchst nöthig. (b)

Witteb. Auch ist bekannt / das VI. in febribus continuis, tam benignis, quam malignis, in principio ein lene emeticum, si subindicantia adsint, & in primis materia peccans in primis viis turgeat, (b) gar wohl kan exhibirt werden / welches insonderheit von Sydenham in methodo curandi febres p. 9. & 199. nicht wenig recommendiret wird.

(g) Confer Cap. V. §. III. (b) Cap. IV. §. III. VIII. IX. X.

(7) Ob nicht die viele groß-grüne materia, per vomitus & secessus rejicirt, augenscheinlich gewiesen/ daß die anxia jaclationes nicht von einer inflammatione ventriculi, sondern von scharffen humoribus in Magen herkommen / und deswegen rathsam gewesen dieses Medicament zu geben?

Lips: Ubrigens und (7) zeigt die viele groß-grüne materia, per

vomitus & secessus rejecta, nicht undeutlich an / daß die anxia ja-
ctationes nicht nothwendig von einer inflammatione ventriculi (i)
sondern von acribus humoribus, in ejusdem cavitate congestis,
hergekommen / weshalb gar wohl gethan scheint / daß die-
ses Medicament leniter laxans, (k) um diese zu eliminiren / gege-
ben worden.

Witteb: Und ob zwar nicht zu leugnen / daß in febribus con-
tinuis, praesente materia peccante in primis viis, öftters nur in-
cidentia, als tartarus vitriolatus, arcanum tartari, oder Rhabar-
barum in refracta dosi, gegeben werden / welche vor tutissimis zu
achten; so kan doch auch VII. das aurum fulminans, rite paratum
& edulcoratum, in Anfang / si signa adsunt indicantia, (k) gar wohl
gegeben werden / und mag es wohl bey gedachter Patientin /
pro ratione materiae peccantis, operirt haben. (l) Auch ist IIX.
kein Zweifel / es werden die anxia jactationes von der groß- grü-
nen materia, so per vomitum excernirt worden / entstanden seyn /
weil keine signa inflammationis ventriculi (i) vorhanden gewesen /
und ist daher diese materia peccans ganz recht eliminirt wor-
den. (k)

(i) Confer Cap. III. §. VIII. (k) Confer C. IV. §. VI. VII. & XIV. (l) ib. §.
VII. Cap. V. §. V.

(8.) Ob nicht in febribus cum calore tenui, lipothymiis,
perfrigerationibus, pulsu debili, torpore, seu spasmodico seu pa-
ralytico das nitrum mehr schädlich gewesen?

Lipf: Ob aber 8. in febribus, cum calore tenui, lipothymiis,
perfrigerationibus, pulsu debili, torpore, seu spasmodico seu pa-
ralytico, das nitrum, und nitrosa, nicht vielmehr schädlich als
nützlich gewesen / lassen wir an seinen Orth gestellet; indem / nach
unterschiedlicher Gelegenheit derer Umstände / dieses Sal in derglei-
chen casibus so wohl nützlich / als schädlich seyn kan / und also ejus
exhibitio auff des praesentis medici judicium ankömmt.

Witteb: So ist auch IX. in febribus continuis cum calore
leni, lipothymia, perfrigeratione, pulsu debili, & torpore spasma-
dico das nitrum (m) nicht gebräuchlich / und kan leicht schaden /
zumahl es nach einem laxante, da alvus aperta ist / gegeben wird.

(m) Confer C. II. §. VIII. XIII.

(9) Ob nicht die essentia castorei cum sp. C.C. vinoso in
solchen casibus, zumahl in ipso paroxysmo, viel nützlicher und rath-
samer zu achten sey?

Lipf

Lipsi: Und eben dieses ist auch (9) von der ess. castor. cum sp. C.C. und dergleichen volatilibus zu judiciren; welche in denen paroxysmis lipothymicis, spasmodicis, paralyticis, und zwar in so geringer dosi, gegeben worden/daß von diesen der Patientin nicht der geringste Schaden zugefüget worden. Sign. Leipzig den 13. April. Anno 1707.

Decanus, Senior und andere Doctores, und Assessores hiesiger Medicinischen Facultät.

Witteb: Hingegen ist X. die essentia castorei cum sp. cornu cervi in solchen casu, zumahl die diaphoresis nicht richtig/ vor nützlicher und rathsamer zu halten. Urfundlich haben wir dieses mit unserer Facultät Insiegel besiegelt. Wittenberg den 18. April. 1707.

Decanus, Senior und andere Professores der Medicinischen Facultät daselbst.

Hierneben dienet dem Hochgeneigten Leser zur dienstl. Nachricht/daß zwar bey den Hochlöbl. Medicinischen Facultäten die einerley wahrhafftige Historie der Kranckheit/ wie sie vorher gesetzt ist/ mitgesendet worden/ welche von Gegentheils in einen und andern/ (als falschen/) abgehet. Nichts destoweniger was den einzigen Grund der ganzen Sache/ den bösen Hals/ anlanget/ worauff rationes, so wohl Gegentheils/ als derer Responforum, sich gründen/ so setzet Gegenheil selbst/ es habe die seel. Jungfer diesen aus trüber und kühler Luft heimgebracht/und ihn also noch selben Tages/als Mittwochs selbst bekommen/ ja er sey auch noch eben selbigen Tages/ von blossen Ausgurgeln mit warmer Hafer=Grühe/ vergangen/ da ich doch erst Freytags dazzu kommen/ und Sonnabends das laxirende Gold=Pulver verordnet habe.

(2) Ist das warhafftige Recept von Gold=Pulver von mir gesetzt worden/ als ichs verschrieben/ wie solches in folgenden Capitel das Attestat beyder geschwornen Apotheker/ unter ihrer Pflicht/ besaget. Ob nun auch Gegenheil ein anders/ und verfälschtes gesetzt/so hat er doch seine Einwürffe einzig und allein wider das Gold=Pulver eingerichtet; wovider aber beyde hochlöbliche Facultäten deutlich genug erkant haben/ daß es ohne allen Grund angefochten und getadelt werde.

C A P. II.

Historiam morbi, ab adversario corruptam
examinat, malignasque censuras e-
jusdem diluit.

§. I.

IPso de προεξουκρίσεως titulo primum monetur, quod Hippocrates quidem, ut p. 15. non negatur, τὸ προεξουκρίνειν medicis commendet, nullo autem loco naturæ προεξουκρίσιν laudet. Idem enim vocem προεκκρίνειν (a) quidem præjudicanti naturæ, id est, præcoces judicationes excernenti, adscribit; quod vero semper fit cum cruditate, necessario mala, & nunquam cum εὖ, bona. Hoc igitur εὖ contra Hippocratis expressionem, rei que naturam, per contradictionem in adjecto, familiarissimam quidem, interponitur. Quapropter non immerito adversarium, sub genuino nomine suo, προεκκρίνοντα, seu crudi præjudicantis, judiciumque suum præcipitantis, per hoc defensionis scriptum indigitare licebit. Hoc ipso enim πρώτον ejusdem ψευδὸς apparet, quod, pro crudo præjudicio, Hippocratis æque, ac omnium probatissimorum scriptorum, cum dogmata sobria, tum experimenta practica, falsis, physicis æque, ac moralibus, non nisi corrumpat.

(a) Hipp. de Humor. VII. 16. Vol. I. p. 323. L. II. Epid. S. I. 35. p. 686.

§. II. Præjudicans igitur adversarius S. VI. p. 50. tradit, *B. virginis constitutionem fuisse, qualem veteres, ad graphice pingendum phlegmatico-cholerici temperamenti exemplar, descripturi essent.* Cum tamen in eadem temperamenti potius sanguinei signa conspirent, quæ, secundum omnes institutionistas, ut vel tyrones in *Mæb.* institutionibus legere possunt, hæc sunt: *Corpus calidum est, & molle, latis præditum venis & carnosum, facies florida, atatis progressu eleganter rubicunda, in pueritia capilli albi, hinc subflavi. Talis homo est hilaris, alacris, pacificus, ingeniosus, amicorum amans, justus ac bene moratus, frequentes patitur hæmorrhagias, febres putridæ sæpius ipsi negotium facessunt.* Fateor itaque, crudius esse meum caput, sicut mihi

exprobratur, quam quod chalybeas has cruditates concoquere possit, asserentes, *temperamentum fuisse phlegmatico-cholericum*. Phlegmatici enim temperamenti signa hujusmodi enumerantur: Corpus est album & crassum (quod posterius ipse negat) capilli albi, somnus longior, ignavia, tarditas, ingenium hebes, judicium minus acre. Temperamenti vero cholerici exemplar melius non haberi potest, quam in Grunnio illo Medico, cujus signa rursus graphice Moebius his depingit: corpus est calidum, durum ac gracile, macilentum, tum quoad carnosam substantiam, tum quoad pinguedinem, pili nigri, crispi, vena magna, facies χλωρή, cum virore pallida, qualem plerique habent Judæi (veriusque Zigeuni.) Homines tales ingeniosi sunt, sed inconstantes, temerarii, superbi, iracundi, contentiosi, nemini parcentes, implacabiles, subito ad arma provocantes, non solum in domesticos flagellis sævientes, sed etiam cum fustibus in plateas procurrentes. Bone DEUS! quanta utrinque vitia, vi temperamenti phlegmatico-cholerici, ad unum omnia notorie falsa, in honestissimam & modestissimam B. virginem cumulare non pudet.

§. III. Deinde B. virgo temperamenti fuisse dicitur phlegmatici, simul tamen cholerici, ut veteres illud graphice depingerent. Quare non nominantur illi veteres? Hippocrates certe, & a priori, & a posteriori, hæc *naturæ mysteria* ignorat, & hinc etiam, ut obsoletus, negligitur. Ego vero, neque quenquam veterum, neque recentiorum medicorum, hæc ridicula unquam scripsisse memini, & quis unquam sanæ mentis hanc σιδηροξύλῃ contradictionem in adjecto calleat somniare? Secundum hanc enim B. virgo frigidi simul & calidi, sicci simul & humidi temperamenti fuisset, capillis simul albis & nigris, pacifica & contentiosa, judicio minus acri, tamen ingeniosa. Verum non alia sunt *naturæ mysteria*, foetusque intellectus, secundum & contra Hippocratem, sine cogitatione quidem, tamen moralis & prudentissimi, ἀπαιδέυτῃ, rudis, & tamen πολυμάθε-
ς αὐτῇ, doctissimi. Cujus quoque classis sunt risus austerus, abscessus criticus ante febrim, symptomatice recursus perniciosus, ex hoc, & acrisia, febris secundaria, bilis amara & tamen acida. Porro προέκκερσις p. 50. ægrotae habitum tenerrimum perhibet, omneque solidum robur exinde ipsi denegat; ob proceram maxime staturam, magis tamen per annos infantia ac pueritia. Sed certe nemo per hos annos ipsam tam macilentam agnoscere potuit; gracilem quidem, sed virgi-

virginem, non matronam. Verum secundum Hippocratem (*)
Crassi admodum secundum naturam magis cito moriuntur, quam graciles.
 (*) S. II. aph. XLIV. Vol. I. p. 76.

§. IX. Totius controversiæ cardo fere in una medicamen-
 ti formula vertitur, quæ p. 51. nequidem addita dosi, hoc modo
 adulterata legitur: *Pulv. e fol. senn. Antim. diaph. & auro fulminan-*
te. Cum igitur noverca, cujus partes jam aguntur, medicamen-
 ti *αὐτοζεαφόν* in manibus habeat, illamq; officinæ reddere recuset,
 ex pharmacopœis facillime præjudicans pharmaci hujus formu-
 lam veram percontari potuisset, dolosus certe animus hinc præ-
 sumi potest. Cum ego contra in *Dissert. de Orgasmo* eandem ve-
 rissimam proposuerim, neque causam subesse putem, ut eandem
 mutem, aliamve substituam, velut sequens Dn. Beckerorum, ju-
 ratorum pharmacopœorum, attestatum convincit: Wir endes
 Unterschriebene bekennen unter unserer Apotheker-Pflicht hiermit/
 Daß den 20. Novembr. 1706. Herr D. Pancratus Wolff/ Med.
 Prof. Publ. und Practicus allhier der seel. Jungfer N. N. folgendes
 Pulver verschrieben: Rec. Antimonii diaph. Pulv. bezoart. Sen-
 nerti aa. gr. viij. Auri fulmin. gr. jv. M. F. P. Welches Recept
 die Fr. N. N. wieder abholen lassen / nicht aber zurück geschickt.
 Wir attestiren auch zugleich / daß nicht allein gedachter Herr Pro-
 fessor Wolff/ sondern auch unterschiedliche Herrn Doctores Medi-
 cinæ Practici von eben diesen auro fulminante in unserer Officin
 vielfältig verschrieben haben. Sign. Hall d. 8. April. 1707.

Johann Melchior Becker / Apotheker zum König
 Salomon/ Mppria.

Friedrich Jeremias Becker / Apotheker zum König
 Salomon/ Mppria.

Qui semel autem malus est, semper talis præsumitur; ideoque to-
 ta historia morbi, quam Adversarius in schedio suo adornavit,
 multis falsis adulterata, qualis revera est, præsumitur. Qua-
 propter ego his mendacissimum calumniatorem, sive masculini
 sive foëminini generis, arguo, qui B. virginis historiam morbi, ab
 ipsa veritate tam diversam, & multis modis adulteratam, dolose
 confinxit & diffamavit. Genuinam ego contra historiam pro-
 posui, sicut L. XI. Annalium meorum Practicorum f. 546. ean-
 dem, cuivis legendam, offert quam, nondum vexationem talem

metuens, ibidem consignavi. Sicuti autem libri mercatorum semiplene probant, ita neque similis fides libris medicorum annalium practicum denegari potest, quam juramento confirmare, si res postulet, sum paratus.

§. V. Porro historiæ interseritur, *me, sub populari adjurationis formula B. interrogasse, ubinam pulsum haberet?* Quales autem malas formulas mihi neutiquam, ut alii quidem, familiares esse, omnis vir honestus, consuetudine mea usus, asseverabit; priori quidem die, sed non cum tali formula, pulsum parvum mirabar, quem vero lipothymias sequentis diei medicus ne quidem mirari potest. Deinde subjungitur, quod Beatam virginem ego *his compellaverim: num venenum hausisti?* Quo crasso mendacio passim ipsa noverca me diffamare non erubuit. Quibus e verbis propriam meam confessionem, quasi venenum illi exhibuissem, elicere tentant. Sed facillime illud collatæ invicem præsumptiones diluent, evincentes, ne quidem hæc me dicere potuisse. Etenim exhibuit B. virgini venenum quis? B. matris germanus frater? nomen hoc ipsum virtute sua naturali summum infert amorem. Quare is illud exhibuit? Num lucrum quoddam ex morte ipsius, hæreditate, aut testamento, speravit? ne quidem potuit, nec voluit. Quomodo autem is venenum exhibuit? Num, quod tale medicamento, ab ipso parato, admiscuit? ne id quidem cogitari potest, nam medicamenti formulam in officina præscripsit. Num autem illius autographum tale docet? minime gentium, sed *aurum fulminans*. Secundum hanc formulam pharmacopœus ipse medicamentum composuit, illud in ædes misit, ut medicus illud ne viderit quidem, quid dicam, ut venenum admiscere potuerit. Conferantur jam his partis adversæ præsumptiones. Exhibuisset venenum quis? Domina mater, non, sed noverca; nomen certe odiosum. At hæc noverca, vere materno amore, privignarum commoda suis semper anteposuit. Nonnunquam verbis facta non respondent. Sed num lucrum ex B. virginis morte illa sperare potuit? ita videri potest, nam, testantibus actis publicis, testamentum est aucupata. Quomodo autem venenum fuisset exhibitum? Hoc quidem dici minime potest; interim ipsa fatetur, B. virginem in ejusdem ædibus majorem pulveris quantitatem accepisse, quam quantam medicus præscripsit, & pharmacopœus com-

composuit. Præterea noverca medicamento autographum ex officina subduxit, reddere recusat, accusata, per hanc exceptione veritatis se tueri, non ausa fuit, sed tacite mox honorifica declaratione deprecari maluit; quin imo in schedio famoso *προεκκρίσεως*, pro exceptione mendaciorum, alia, & adulterata, medicamento formula debuit proponi. Cujusmodi non eo animo hic attuli, quasi venenum ipse suspicer, aut cuiquam suspicandi ansam dare velim, sed unice ut ostendam, quam facile mendax, tanquam turdus, malum sibi ipsi cacare possit.

§. VI. Propria morbi historia in *προεκκρίσεως* diagrammate tradit, quod faucium illa inflammatio a suscepto *aeris subturbi- di* frigore, primo die non solum apparuerit, sed eodem etiam rursus *evanuerit a solo gargarismate, ex avena decorticata maxime, parato*; & hoc ipso is recursus anginosi erysipelatis tam perniciosum probare conatur; quo ipso autem, quantas quantas, argutias suas ipse convellit. Primum enim ab externa, frigoris suscepti, causa inflammationes symptomaticæ, non abscessus critici, sequuntur. Quale igitur erysipelas criticum est, quod sine antecedente *horrore*, quem ipse p. 53. negat, ipso primo die, quinimo ante ipsam febrim, erumpere potuit? Ipsam cruditatem *προεκκρίσεως* non intelligi, hoc detegitur. Etenim illa primi diei erysipelata necessario sunt *προεκκρίμενα, præjudicata*, ut ipse Hippocrates declarat, (*a*) *a quorum crudis judicationibus acrisie*, non crises, succedunt. A tali certe recursus tam perniciosum, præsertim à solo gargarismate calido, ne somniare quidem quis potest. Recursus seu relapsus tales, secundum propriam assertionem p. 36. *feri debent illis diebus, quibus erysipelata exire debent*; talem vero nominat *diem tertium*, & recte. Ergo recursus seu relapsus ille perniciosus in B. virgine non antea, & primo die, potuit obtingere. Deinde die Veneris demum ego primum ad ægrotam accessi, ubi misturam diaphoreticam, non certe recursus inferentem, præscripsi, recursus autem jam primo die Mercurii, ut ipse narrat, factus fuit. Quanta igitur temeritas est, culpam illius in me conferre velle, hac ratione potius in nobilissimam suam dominam, novercam, conferendam. Alia longe in B. Dno Parente ratio erat; in quo erysipelas die III. demum apparebat, cujus eruptio a topico illius anodyno mox quidem turbabatur, sed non disparebat. Neque

capitis dolor primo die, quanquam eodem non adfui, secundum solitos morborum typos, in B. filia huic evanescentiæ deberi potuit. Nam idem dolor per vespertinam exacerbationem, omnibus solennem, pariter ingravescere coepit; qua certe faucium illa inflammatio nondum disparere potuit, præsertim cum eandem die Veneris adhuc, primo meo ingressu, offenderim.

(a) L. II. Epidem. S. I. 35. Vol. I. p. 686.

§. VII. Falsissimum est, (2) anxiam illam jactationem demum die Saturni, post auri fulminantis usum, & hinc dejectiones ac vomitus incepisse; jam die Veneris illam gravem, in primo meo ingressu, mirabar: hæc enim ipsa potissimum mihi laxans videbatur indicare. Imo ipsa hæc passio post vomitus potius remittebat, præsertim vero die Solis cessabat. Ut matutinam diei Saturni euphoriam, ad meridiem usque continuatam, taceam, cum mane, hora octava aut nona, medicamentum illud fuerit assumptum; ipsa enim tum noverca nondum negare didicerat, quod ægrota per illud tempus e cerevisia Löbbegünensi confecti jusculi aliquot cochlearia sine fastidio assumsisset, illamq; bibisset. Quamobrem enim demum hora secunda pomeridiana exacerbatio illa mihi denunciabatur, ubi fere frigidum offendebam hypocaustum? quale pro talibus ægrotis, præsertim colicis quoque, si, propter dejectiones, lectum non observare possunt, minime commodum est. Quid, quod, ut deinde rescivi, noverca tum magis pro testamento condendo sollicita, citius ad Dominum Jctum miserat, quam ad me medicum, pro doloribus privignæ levandis. Profecto non sine ratione, me non monente, Domini Wittebergenses in quæst. III. Responso, *errorem diætæ* suspicantur. Haud nego, quod tum B. virginem, lipothymicis perfrigerationibus debilitatam deprehenderim; Sed non rarum est, accedente quodam errore iisdem vomit9 perturbare tam spontaneos, quam medicamētis provocatos, vel in sanis hominib9, præsertim molliorib9 virginibus. Neque vero post ipsas dejectiones & vomit9, etiamsi dysphoria remittat, somnus placid9 & appetitus mox restituuntur, & lasitudine omnino cessante, febris ipsa penitus solvi potest, ut ægroti plane convalescant; quæ alias sola per se, sine vomitoriis, quoque vires magis magisque prostertere solet. Omnes honesti homines, nec mendaces, qui die Solis B. virginem inviserunt, dys-

dysphoriam ejusdem diei minorem negare non poterunt; utpote quo, voce non debili, erecto in lecto corpore, me ac amicos interpellabat, & cum Dno Sponso confabulabatur. Quod vero lipothymia horis vespertinis redierit, pluribus infra dicetur. Interim recensetur, circa horam VII. exacerbationem illam lipothymicam coepisse, quare vero illa mihi, hora demum nocturna decima, denunciabatur? Medicamenta, quæ jam præscripseram, essentiam castorei, & pulverem cinnabarino-diaphoreticū, ipsis his malis, & prænitro, magis appropriata esse, quivis medicinæ sobriæ peritus agnoscet, ut & Domini Wittebergenses candide in Quæst. IX. & X. responderunt, Domini Lipsienses vero tacite singularem hanc novitatem risisse, intelliguntur. Quamobrem autem ne unicum quidem medicamentorum eorum fuerat exhibitum, cum, secundum consilium meum, ambo tum fuissent usurpanda? Num igitur & tum medico culpa homicidii potest imputari, cum consiliis ipsius ægroti nequidem obsequuntur?

§. VII. Quam falsum pariter est, me negasse, quoddam medicamentum ad manus fuisse. Adversarium enim ejus causâ, & num *analeptico* usus fuisset, me interrogantem, certiore faciebam, eo nomine essentiam castorei me præscripsisse. Cum igitur ille, ne verbulo quidem de morbi genere factò, mox & unice regeret, *se, cum permissione mea, pulverem nitratum exhibiturum esse*; quomodo non poteram non promptissime assensum meum præbere; cum si dissensum meum, quem jam intelligebat, vel verbulo defendissem, actu tamen prorsus frustratorio, non, nisi majores molestias, vexationesque cumularem. Interim hoc notatu dignum est, Adversarium quasi nitrum suum ipse in hoc casu incommodum agnoverit, ne unica quidem vice illud in sua morbi historia rursus nominare voluisse; cum corporis perfrigeratio, parvis saltem sudatiunculis comitata, ut ipse p. 54. fatetur, ad mortem usq; continuaverit, imo increverit. Quibus certe casib9 Elixir castorei volatile longe magis, quam nitrum, (a) profuisset, cum iis ne quidem levisima diaphoretica, essentia scordii aut lapilli cancerorum & mater perlarum (eidem tantum solennia) satisfaciant. Certe misera fors est medicorum, hic Halæ praxin exercentium, ubi medicus novus superinducitur; quo ipso enim primo medico collega, non consilii juvandi, sed imperitiæ corrigendæ causâ, fem-

semper adjungitur. Quare quæcunque absurda & imperitissima novus proferat, si primus unicum saltem monitum, aut rationem contrariam regerat, contentioso ejusdem animo illud tribuitur; quid quod contraria, eam ipsam ob causam, aguntur? nihilominus si res, ex novi medici manifesta imperitia, male cedit, unice priori culpa omnis imputatur.

(a) Confer. ad quæst. IX. & X. Witteb.

§. IX. Eadem jam ante illa ipsa *nobilissima Domina*, scilicet noverca, in B. conjugem docuerat; qui primum suo pte consilio sp. C. C. citrato B. Dni Knauthii, usus fuerat, a me vero similis medicamento drachma j. exhibita, & die III. ad guttas xx. usurpata, mortis, deinde die IX. demum subsecutæ, unica causa diffamabatur; cum tamen hoc optimum fuisset medicamentum, quod erysipelatis & febris, gangrænosæ malignitati, præ omnibus aliis, satisfecisset. Febris maligna, a me nominata ridebatur, sed hæctica, malumque hypochondriacum rectius, scilicet, diagnoscebatur; ego cujusvis imperitiæ arguebar, cum ne majores quidem excogitari possint, quam a secundo medico commissæ. Nam (1) a topico anodyno novercæ, me frustra dissuadente, adhibito, maligni erysipelatis, vere critica, eruptio mox turbata, cognoscebatur, (2) ut ut maxime aliud rogabam, omnia cinnabarina & volatilia proscribebantur, (3) die VI., & rursus die IX. ipso mortis, venæ raniæ, contra quasvis artis regulas, secabantur, (4) enemate, per mediam, & difficillimam, critici abscessus eruptionem, alvus solvebatur, (5) diaphoretica diebus criticis longe minus, quam contra vacuis, usurpabantur, imo (6) demum penitus, ne debilitarent, in mei contumeliam omittebantur. Non enim B. Domini Ægroti tam convalescentia, quam unice maligna mea vexatio, intende batur. Ideoque ego per hæc, tacite magis dissentire, quam aperte contradicere, medico novo hic Halæ superinducto, didici.

§. X. Præterea mihi exprobratur, quod *sequentibus diebus B. virginem non rursus visitaverim*. Ego autem moris esse didici, ut medicus alter alteri significet, qua hora crastino mane ipse foret rediturus; quem autem tonicus præjudicans, abiens, prorsus omittebat. Num ergo alter medicus, cujus solius visitatio est frustranea, instar adolescentuli, per plures horas illius adventum

expectet? Ego discedens, & novercam & Dn. affinem monebam, ut per nuncium collegæ accessum mihi significarent, quo & ego eodem tempore simul comparere possem. Cum igitur ne hoc quidem officio me dignari libuerit, num ego, haud ultra rogatus, invitis me obtrudere debuissim? Certe, ubi honestum, imo largius sostrum solvitur, illi turpitudini me non submitto, quanto minus igitur hæc in gratuitis curationibus a me postulari possunt? Deinde, sicut jam de B. Parente recensui, ita etiam in Generoso Regio Commissario, ipso Præjudicante superinducto, sum expertus, quod sive imperitiarum, sive singularium novitatum, quas juncti medici tentant, funestos eventus ego deinde sine quavis culpa luam; itaque melius consilium iis casibus haud superesse credo, quam ut curationibus illis, quam primum licet, me subducam. Sic in hoc Generoso Regio Commissario sanguinis missionem ego suaferam, aderat chirurgus ad illam paratus, sed adversarius superinductus omni modo illam disyadebat, demumque sequenti die, ad Domini Aegroti multas instantias, sanguinis minima quantitas mittebatur, stillarum seu hæmorrhagiarum symptomaticarum & perniciosarum parvitatem imitando; cum in corpore illius plethorico evacuatio illa, & quidem larga, fuisset repetenda. Neque obstat, quod ante quatuor hebdomadas vir generosus in simili morbo cruorem quoque suum deplevisset, cum levamine tamen, & sanitate restituta; cum in pleuro-pnevmonicis, orthopnoea metuque suffocationis urgente, per unam febrem, in eodem ægroto, duobus tribusve singulis diebus cum levamine secentur venæ. Equidem ego, non crudissimo aliorum præjudicio, Wedelii pragmatica testimonia rejicio, docentis, *in pleuritide venæ sectionem non esse*, (semper fortassis, interim quandoque) *necessariam*; nec ego *simpliciter hanc in eodem morbo extollo*; ut mentem hanc meam in Disput. *de Venæ Sectione intempestiva in phrenitide* jam copiosius exposui, & vel centies in praxi propria auxilium hoc in febribus pleuriticis felici successu omisi, verum suffocationis metus abesse debet. Deinde laudatus medicus salia volatilia, pro sanguinis coagulatione magis solvenda, succenturiat. Antagonista vero potius acidis, (a) non solum sanguinem magis coagulare, sed etiam *motus incorporeos vitales* tus-

ses, non quidem *irritando*, uti ille quidem negat, exasperare malebat; cum ad unum omnes medici pragmatici, cum Hippocrate acida, venenorum instar, in hoc morbo fugere, tussimq; magis quodammodo emollire, inculcent. Quamobrem potius expectoratione omnino suppressa, Generosus vir, medico nil tale cogitante, uti tamen peregre proficiscens, prædixeram, obierat. Hunc solocismum Clarissimi Medici Berolinenses rectissime turpiter castigarunt; ut revera me pudeat, illi curationi simul interfuisse, quippe nullo modo lege artis defendendæ.

(a) Referente L. IX. Annal. Pract. f. 638. mense Novembri Anno 1702. paradoxus noster ultimo die in officina sequentem formulam propria manu præscripserat: *R. Aquæ scabiosæ, scordii, card. bened. chærefol. aa unc. ij cinnam. cydon. dr. vj. ros. unc. ss. Tinct. ros. vitriolata (id est Spir. vitrioli acuatæ) dr. ij. Syr. acetos. citr. unc. j. Canar. papav. err. aa dr. iij. MDS.* ut frequentem simul succi citri usum omittam.

§. XI. Porro p. 52. mihi objicitur, quod non solum illo, sed a longo satis tempore, per divinam gratiam, ejus characteris febres in hac urbe haud notæ fuissent, quæ tanta violentia, citra sinistras tractationes, ægros subegissent. Sed idem prorsus de tempore, quo laudatus Regius Commissarius & ipsius adversarii B. conjux tertia, brevi obierunt, dici potest. Deinde Aegr. I. Diff. de Orgasmo, vidua juvenis circa illa tempora similem plane morbi violentiam cum capitis doloribus, ex critico erysipelate, item supervenientibus animi deliquiis & perfrigerationibus, ostendit; quæ sine auro fulminante quidem, sed non sine quovis purgante, omisso autem nitro, ab elixirio castorei volatili, evidenti utilitate, convalescebat. Quantumvis autem fatear, per hos annos, non, ut quondam anno 1700. contagiosas constitutiones numerosos febricitantes tulisse; nihilominus tamen per hos etiam ex febribus aliquos mortuos fuisse, negandum non est. Plures autem B. virginis morbi tempore malignos planetarum adspectus, rarissimo more, concurrisse, publicus docet ephemeridum consensus. Hos ipsos, non quidem ut causas solitarias, pro febribus lethalibus inferendis, sufficere arbitror; attamen illos, præsertim in dies criticos incidentes, ut causas socias, malignitatem febrilem plurimum exacer-

cerbare, cum Hippocrate tot gravissimi scriptores medici, Riverrius, Ballonius, Lælius à Fonte, B. Sylvaticus, Diemerbroccius, experientiis suis attestantur.

§. XII. Sicut etiam propter hos, ut videtur, B. D. D. Seebachius, J. U. P. P. Witteb., vir elegantissimæ ac solidissimæ eruditionis, 40. circiter annorum, crassi, longi, fatisque robusti corporis, sanus, die I. Decembris 1706. hinc Wittebergam profectus, & ibidem ad iram provocatus, febricitare coeperat, atque VII. die, cum purpuræ eruptione, obiit. Haud secus (a) faber robustus, 36. circiter annorum, d. 21. Julii 1706. cum similibus planetarum adspectibus, ad iram provocatus, omne acetum, quod a cucumerum recentium acetario superfuerat, hauserat, hinc febricitans, die V. alvo obstructa, sine quovis purgante, per integram noctem copiose sponte vomuerat; male simul significantibus parva narium hæmorrhagia, sudore capitis particulari, hinc acido frigido, tristisque delirio, die VI. delirus electo se proripuerat, brevi mortuus, post mortem totum crus maximum signum lividum defœdasse, intellexi. Pariter (b) die 7. Augusti cum simili concursu malignorum adspectuum, pistor 40. circiter annorum, quem febribus iisdem a gravibus iræ paroxysmis, oppressum, vel sexies curaveram, methodo medendi eadem haud levante, cum sudore frigido VI. die delirus obibat. Quantam igitur præjudicii cruditatem, *si non inferorum Deorum διαβάλλειν*, ut scurrilibus ejus expressionibus utar, adversarius detegit, quod in propria disputatione (c) inculcet, *multum interesse, si critica tempora in novilunii & plenilunii dies incidant!* nihilominus is me S. VIII. p. 70. adeo fugillat, quod verissime tradiderim, præter novilunium plures funestos planetarum adspectus tum concurrisse, qui morbi malignitatem in B. Virgine admodum exacerbassent, ac ejusdem lethaliitati maximum pondus addidissent.

(a) refer. L. XI. Annal. Pract. f. 480. (b) ibid. f. 498.

(c) de rationali empiria §. LV. p. 38.

§. XIII. Denique notam meretur, quod *προέχεις*, per universam morbi historiam, medicamenta sua, meo more, non describat, nominibusque propriis proponat, sed ea, peritorum me-

dicorum publicam censuram timens, virtutibus tantum medicis, *analeptica*, *alexipharmaca* & *diaphoretica*, nominet. Res est examine adhuc digna, num illa talia fuerint. Diaphoretica levisissima ipsi usitata esse, v. gr. ess. scord., radicis pimpinellæ, oculos cancr. matrem perlarum, & quidem nitro remixta, testantur Observ. Hallenses; neque alia in B. virgine fuisse, ostendunt levisissimæ tantum *sudatiuncula*, cum *extremis frigidis*, quibus effectibus nitrum maxime favet; Cujus autem nulla ulterius fit mentio, cum tamen noverca pulverum illorum alborum salinorum, mirificas virtutes plenis semper buccis decantaverit. Quibus autem nec erysipelatis eruptio & extraversio, quam unice de mea cura desiderat, promoveri potuisset; sed magis inhiberi debuisset, ut & perniciosus recursus, si quis adfuisset, confirmari. Unicum in mea medendi methodo, generis communis ille Syncretista culpæ novit, quod ego in febribus ægros sudoribus largis debilitem; nihilominus diaphoreticam, non refrigerantem, unicam genuinam febribus medendi, methodum esse, jam ipse confiteatur. De naturæ motibus vitalibus & criticis ubique ad nauseam multa, sed tantum generalia, proferuntur pro theoriis scilicet fingendis; ubi vero praxis ad specialia descendendi postulat, indicationi nulli satis fit; sic magis saltem symptomaticas sudatiunculas, ad acrisias pertinentes, movere, quam sudores largiores, laudabiles crises imitando, promovere docetur.

§. XIV. Haud secus, alias vera, *analeptica* & *nervina*, v. g. essentia castorei, quinimo solaria, videntur; præ his vero minime talia haberi possunt misturæ, syrupis tantum edulcoratæ; quales B. virginem a novo medico accepisse, Dna foror, aliæque fide dignæ amicæ, mihi retulerunt. A cujusmodi vero ipsa B. virgo monebat, se tormina colico-hysterica pati; hincque *anxiæ molestiam membrorumq; jactationem inferri*, ipse Hippocrates (a) inculcat. Unde necessario, a meo discessu, *anxiæ jactationes* non potuerunt non denuo recrudescere & continuare, ut ipsa *προέκκρισις* recenset, licet easdem auro fulminanti falsò imputare laboret; Neque absurdum est, ut ille quidem p. 72. me suggillat, *febribus*, etiam *malignis*, hinc *cardialgias* complicari hystericas; quas fere prorsus negare mavult, cum tamen Hippocrates (b) tales

epilepsis & animi deliquiis, cum flava bilis vomitu, & anxia jactatione, omnino supervenire testetur. Hos autem ipsius cordis dolores rudes tantum mulierculæ, & medici, anatomia neglectum singularibus paranesibus medicinæ studiosis commendantes, sibi persuadere possunt.

(a) de vict. acut. XXVI. 13. Vol. II. p. 290.

(b) L. I. de morb. mul. V. Vol. II. p. 459. Confer. Wedel. amœn. mat. med. p. 200.

§. XV. Thraſonico more vanaque jactantia mihi præjudicans adeo contemtim p. 79. exprobrat, *quod ipse certe non dignus esset, quem terra ferret, si eadem ille ab hoc discere necesse haberet, adhuc minus autem, si talia discere deberet.* Quod si autem hæc antea didicisset, convincentibus duarum Medicarum Facultatum doctissimis Responsis, in B. virgine me per illas cruditates non adeo crudus vexasset. Quomodo autem summus hic philavtiæ fastus, imo orgasmus, simulatæ illi verborum pietati p. 82. respondet? Uti nam vero, secundum hanc humanam suam imbecillitatem agnosceret, ut hinc saltem me fere quotidie, magis magisque, scurrilibus plane sarcasmis impetere cessaret. Ego certe Disputatione mea Inaugurali Altdorffina de *Ictero*, decem annos priori, quam Adversarii Jenensi de *Intestinis, eorumque Morbis*, docere possum, medicinam me jam tum calluisse, cum talis tantæque ambitionis vir, ut mollissime dicam, tum forte a ludimagistro pagano latinitatis barbarismis, obscurorum virorum solœcismis atque strigiliginibus, & trivialium Græcorum vocabulorum pædantismis, imbui cœpit. Quantæ sunt autem cruditates, secus discendæ, *febres secundarias a primariis, abscessus symptomáticos a criticis, acrisiæ a crisiibus*, ne quidem discernere posse; de his ipsis tamen nobilissimis materiis, vere pragmaticis, peculiare disputationes contra me conscribere, ac cruditatem suam practicam mundo aperire? Cujus clasſis quoque sunt illæ, summe paradoxæ, novitates: *Bilis amara non ab acida differt, acor ab amaris augetur, essentia & extr. bellebore præ auro fulminante lenius purgant; essentia castorei maligne tantum exiccat. Nervina non dantur. Dulcia neque hystericis, neque colicis, nocent, potius tales juvant & confortant. Humorū peccantes qualitates alterari non possunt. Vita tantum consistit in excretionibus, a quibus tamen agroti facillime moriuntur. Acidule ac therme*

nullius sunt valoris. China China & opiatā, quocunque cauto usu, tantum nocent; at theriaca & pil. de cynoglossa multam laudem merentur. Cujusmodi mysteria natura, tantum credenda, sana etiam ratione reclamante, vel sexcenta facile cumulare liceret, quibus medicina, tanquam contagio quodam, inficitur.

§. XVI. Sectione ultima vix illam impudentiam animi satis admirari licet, quā pietatis quasi fūco, factis evidentissime contrario, lucis angelum simulare non veretur, qui contentiones & rixas omnes, quasvisque æmulationes abhorreat, cujusvis humanitatis studiosissimus. Non opus est longinqua, certissime contraria, nobis probe nota testimonia huc evocare; cum Hala nostra notoriis pluribus reclamet. Quantis vexationibus quondam hic duos medicos practicos, jam beatos, non incelebris nominis, idem afflixit? Quæ disputationes ejusdem aut programmata, maxime per hos menses scripta, non inhumanissimis sarcasmis medicum unum vel alterum, etiam ipso digniorem, proterve illudunt? Quis tam spissi est capitis, ut non intelligat, quam plura propemptica viros innocentes laceffere, quod me innocentem maligne cum ipso, persequi nolint, qui, solo litigandi fastidio, cum St. certare & se commaculare abhorrent? Quasi vero mihi ipsi non sufficiam. Non prima vice adversarius hic me sic laceffivit, etiam ante dissertationem de orgasmo conscriptam; sed ex patientia silentioque meo, ipsius insolentiam magis magisque incrementum, animadverto. Equidem προεκρίσεως illius cruditatem patientia prætermittere, ad minimum civili molliissimoque stylo argumenta ipsius levissima, planeque non concludentia diluere, primum apud animum meum constitueram; cum inter eruditos crudissimis talibus sarcasmis & opprobriis se invicem perstringendi, mos haud consueverit. Ipse talem adversitatem semper fastidivi, & utriusque nostrum, majori honore, controversia hæc vere pragmatica, stylo modò alio, in praxeos medicæ incrementum, tractari posset. Verum, quo plures dissertationes dehinc adversarius conscripsit, eo acerbioribus insolentiis me fuit infectatus; quamobrem, docente Salomone, denique quoddam echo instruere, parique mensura cruditates illas compensare, summa me adegit necessitas. Quæso vero, quid huc ad rem faciunt

ciunt illa personalia, quæ non mihi, sed adversario pudori esse possunt, quod *crassum carnosumque* adspectum; *meum* mihi exprobet quo tamen nondû summa quædam Fridricianæ nostræ ornamenta adæquo; illo liberali sanitatem meam, Deo benedicente, ostendo. Quasi vero non turpius contra sit, rugosa, macilenta, & fusco-livida facie, per ætatis florem, ideam accuratissimam ipsius invidiæ exhibere, vividis coloribus depingendæ.

§. XVII. Quis sanæ sobriæque mentis non deridebit, quod idem p. 48. & in propemptico quodam, medicam mihi experientiam deneget, ex hoc sola ratione, quod Naumburgi quondam, ultra 20 annos praxin exercuerim; in quo, ut ille nugatur, *oppido crassiores tantum opifices & agricola, ex sola intemperantia cerevisiæ crassæ, acidiæ (vini) poscæ, aut piscium carniūque salutarum, morbis, non veretalibus dicendis, laborent.* Risum teneatis amici! Hæc medicus exprobrat, qui quondam Vinariæ per paucos annos praxin, vix aliquam, exercuit. Annon igitur hæc Naumburgo longe minus est oppidum, in quo plures homines, præsertim haud *opifices ac agricola*, neutiquam aluntur? Quis calo aulæ Vinariensis, utriusque non novit, cerevisiam Naumburgensem, haud instar Vinariensis, crassam, eo peregre advehi, ac in aulis, omnibusque honestioribus conviviis, reliquis omnibus itidem præferri? Verum quæ res est miratu dignissima, Vinariensis Naumburgensi medico, propter oppidi parvitatem, praxin & experientiam medicam deneget. Praxin ego quidem numerosam, more illius, nunquam jactavi, & à propriæ laudis sordibus adhorreo, quibus tamen alius adeo delectatur. Etiam Vinariæ *plures medici*, quinimo simul aulici, tum *praxin exercuerunt*, quis igitur sobriæ mentis manibus comprehendat, quod Vinariensis jurato asseveret, (a) se per *quatuor annos usque ad annum 1694. quingentos, imo bis millenos, sola febre petechi ali laborantes curasse.* Ex iisdem castris milites Jenam quoque, ac Naumburgum, illo autumno revertébantur, eadem febres petechiales etiam in his duobus oppidis tum grassabantur; & anno 1693. epidemica dysenteria Naumburgi malignè sæviebat; neque tamen celeberrimus D.D. Wedelius Jenensis, neque D.D. Jacobi, collega meus senior Naumburgensis, vir haud minoris eruditionis & magis numerosæ praxeos, quam
ille

ille quondam Vinariensis, similem illorum ægrotorum numerum, iis paucis annis, unquam jactabunt, & jactare poterunt. Quid, quod iidem hi duo celebres medici mecum, tum temporis Naumburgensi practico, testabuntur, febris istius petechialis, ut *quotidiana continua*, historiam, diagnosin & therapeusin, praxi haud conformes esse, quas ille in *Observationibus suis Halensibus mensis Maj. 1698.* proponit. Celeberrimus (b) D. Helwich Uratislaviæ tantum *ducentorum* (unius anni) *febre petechiali detentorum, ac a se tractatorum*, meminit; quæ vero proportio inter Uratislaviam & Vinariam intercedit? Quidni præjudicans Halensis febris petechialis purpuratæ constitutionem epidemicam anni 1700. proponere continuavit? Quantumvis Hala, illis duobus oppidis, major sit, attamen practicus ejusdem, quicumque tantum ægrotorum suorum numerum illius temporis, jactabit hunc mecum, æque tota Hala nostra, castigabit.

(a) Obs. Hal. cit. p. 554. 614. 615. (b) vide historiam morborum Uratislaviensium Anni 1699. p. 9.

§. XVIII. Exinde cuivis sobriæ mentis homini facile constabit, quam gravibus adversitatibus & persecutionibus unice animus meus candidus & beneficus compensetur. Sollicita quavis diligentia curationem me tractasse, sufficientem eruditionem combinasse, singulaque praxi haud paucorum annorum fundasse, apparet. Nihilominus adversarius omnium prudentum medicorum experiētiis pertinax reclamation, argumenta levissima, haud concludentia, neque talia dicenda, quam potius verbosas & inanes fermocinationes, opponit, historiamque ipsam falsis corrumpit. Quibus tamen quorundam, etiam eruditorum virorum captus obnubilari intellexi, ut sensu suo, nescio quo veritatis pondus ne quidem observent. Quomodo verissimum manet in medicina: Calumniare audacter semper aliquid hæret, præsertim cum impune jam sic peccare liceat? Hac ratione revera medicina, ipsa quidem, non est res solius coecæ fortunæ, quæ nullam eruditionem postulet; attamen quis ejusdem practicam felicitatem & celebritatem non illi (aut quidem potius divinæ benedictioni) omnino deberi, non agnoscat? Utpote cujus unius est, clementissime dare, ut ægroti consiliis medicis obsequantur, adstantes
non

non nasute refragentur, multo minus autem, ut propter funestos casus, illorum culpæ non medico imputentur, aut idem plane calumniis traducatur. Res est, insolito medicinae more, manifesta, nullique dubio exposita, utpote cujus contrarium ante hæc fuit inauditum; aurum fulminans præ aliis omnibus, præstantissimum & maxime innoxium purgans esse, neque de usu validiorum etiam purgantium, nostro in casu orgasmi lis fundata moveri potest, cum, etiam extra illum, in febrium principiis idem a multis eruditis scriptoribus inculcetur. Quantæ tamen molestiæ propterea mihi devorandæ, sumptus impendendi & labores exantlandi fuerunt, ut Supremo saltem grates agam, quod in re tam certa, & vix controvertenda, cujusmodi certe per medicinam rariores sunt, mihi has vexationes imposuerit; non quod eruditioni meæ, vel in difficilioribus casibus, juxta benedictionem divinam, diffidam, & quæ tum agenda mihi sint, coram arbitris haud suspectis defendere verear; sed quod in medicina veritati nullum tribunal supersit, ad quod illa confugiat, & illius re judicata contra falsissimas injurias se tueri valeat; ut quidem in ullo alio negotio humano similis veritatis difficultas vix occurrere deprehendatur.



CAP. III.

A critico abscessu inflammationem symptomaticam distingvit, eique recursum perniciosum omnino denegat.

§. I.

ADversarius *πρὸς ἐκπίστεως* suæ S.I. p. 9. se certe etiam Hippocratem legisse, velex his, quæ illo schedio suo dixerit, ad illos provocat, ut hujus rei arbitros, qui Hippocratem etiam non volutarint saltem, & textus *Ἱατρικὸν* adspexerint; sed, cum judicio atque decenti animi adversione pensiculate elegerint & collegerint. Attamen monet p. 4. quod allegationes dictionum Hippocraticarum attineat, peculiari circumspectione opus esse, ut non solum de vera significatione verborum ipsorum, quam imprimis mente autoris constet. Cujus moniti autem, haud satis observati, me mavult arguere. Verum, sicut de priori admodum dubitare licet, cum res ipsa contrarium loquatur; ita etiam posterioris culpæ me affinem esse nego, utri credatis, hoc etiam caput affatim docebit. Ex quo quippe liquebit evidentissime, quod res ipsa demonstret, quæ secundum Hippocratis temporum conditionem recte dicta de febribus & abscessibus criticis fuerunt, etiam, succedente temporum quidem majore perspicacia, neutiquam nostris quadantenus restringi debere. Quod autem præjudicans aliud sibi persuadere possit, ejus unicum culpam esse, apparebit, quod Hippocraticas dictiones, ut ne quidem satis alleget, ita volumen ejusdem volutarit saltem, & *Ἱατρικὸν* adspexerit, neque de vera verborum significatione, neque de genuina mente autoris, ipsi fere unquam constiterit, multo minus igitur, cum judicio atque animi decente adversione, pensiculate eligere atque colligere noverit.

§. II. Etenim notissimum est, Hippocratis ductu, recentiores classicos pragmaticosque scriptores (a) febres acutas in species duas distingvere; scilicet in *primarias seu essentielles* & *secundarias seu symptomaticas*. Hæ quidem non vere ac strictè, sic
ut

ut hectica, sed tantum latius & quasi symptomatica nominari possunt; quos abscessus, seu inflammationes, nunquam critica, sed semper symptomatica, (b) antecedunt, ut ipsarum causa continentes, unde febribus hujus generis magis illud nomen ortum esse videtur. Quibus igitur febres nunquam judicantur & levantur, potius, juxta hos abscessus symptomaticos, simul ipsae incrementum accipiunt. Quamobrem inflammationum harum, ac symptomaticorum abscessuum, secus ac criticorum, augmentum mox per topica, sanguinis missionem, vel purgantia, inhibere juvat, neque vero timeri potest, ut eadem decrescentes aut disparentes, instar criticorum, perniciosos recursus inferant, velut quidem προέκρησις in B. virgine somniat, cruditatemque suam purganti meo imputare laborat. Tales inflammationes & abscessus symptomatici febres ferunt secundarias, & quasi symptomaticas, ut pleuritidum, peripneumoniarum, anginarum, puerperarum & vulnerarias. Ad quas vero nullo modo pertinent febres hectica dictae, (c) earundem praesertim species primaria; quae strictissime ne quidem febres, id est febriles morbi acuti, sed calores tantum pure symptomatici dici debent, cum nuda tantum sint symptomatica, febrili morbo haud vestita. *Primariae vero seu essentialis* febres sunt Hippocratis causi seu febres ardentes, quae, ut quidem criticis etiam evacuationibus, v. g. sudorum, ita saepius etiam abscessibus, aliisve transpositionibus criticis judicantur. Hinc tales nullo modo febribus priores esse possunt, (d) sed iis necessario succedunt; cum vero crisis earum non semper perfecta sit, sed saepius etiam imperfecta, ut in variolis confluentibus, exinde ab earundem prima eruptione non mox febris ipsa solvitur, imo quandoque nihilominus adhuc incrementum accipit; eadem tamen non nova & secundaria dicenda. Quibus criticis abscessibus tamen, seu perfecte seu imperfecte judicantibus, recurrentibus, & materia peccante ad interiora regrediente, febres perniciose (e) recidivant aut exacerbantur. Tales abscessus critici sunt bubones, arthritides, erysipelata, variolae; imo propter proximum criticae transpositionis analogismum, his morbilli, purpura, petechiae possunt annumerari.

(a) Non solum Sennerus, cujus quotidianæ tamen experientiæ in *Disput. de Febr. secundariis* §. LXX. p. 39. haud certe per majorem peritiam reclamatur, hanc febrium divisionem in primarias & secundarias docet; sed etiam illam comprobant Uratislavienses in *Histor. Morb. Anni 1700.* p. 182. scribentes: *Febris in eryspelate primaria est, quæ in inflammatione, v. g. anginosa, symptomatica existit.* Quibus adstipulantur River. *Prax. L. XVII. C. I. fol. 508.* Willis de Febr. p. 192. Bonet. *Anat. Pract. f. 506.* item utriusque Facultatis Medicæ Lipsiensis & Wittebergensis Responsa nostra. *Utri ergo creditis?*

(b) Abscessus enim quidam sunt symptomatice, nec omnes critici, qui laudabili judicatione levant, docente Hipp. de Humor. III. 65. 68. Vol. I. pag. 318. L. II. Epid. S. I. 33. p. 686. L. VI. Epid. II. 36. p. 800. Quantumvis autem adversarius *crudam suam προεκκρίσιν* ex Hipp. de Hum. VI. 16. p. 323. fere minus congruenter, de criticis evacuationibus tantum urgeat; Hippocrates tamen l. c. L. II. Epid. eandem magis abscessibus applicat, inculcans, *quod abscessus ad melius judicantes, scilicet critici, non statim appareant, & à præjudicatis, προκρινόμενοι seu crude judicatis iisdem, fiant acrisiæ.* Hic est Hippocraticæ crudæ προεκκρίσεως, nunquam προεξεκρίσεως, genuinus sensus, si textus ejusdem non λαυρηδὲν adspiciuntur.

(c) Qua ratione Hippocrates, ut videre licet L. I. Epid. S. I. 25. p. 654. pro majori usu practico febres, vulgo hecticas dictas, sub nomine tabis magis, quam morbi febrilis, secus ac in cit. disputatione, comprehendit. Quem Wedelius Amœn. Med. L. II. S. II. C. VI. p. 348. optime declarat, scribens: *febrim hecticam magis comitem & productum esse febrium, quam febrem principalem.*

(d) Confer ad Quæst. II. Responsum Lipsiense.

(e) Confer Hipp. L. II. Epid. S. III. 59. p. 699. 132. p. 703. & *Disput. nostram de Crisi per abscessus* C. IV. §. IV. V. p. 25. Exemplum hujus ob oculos ponit L. III. Epid. S. III. Aegr. V. p. 733. in *Larissa Calvus.*

§. III. Quo fundamento solide jacto, facillime maximam totius προεκκρίσεως adversæ præcipitantiam ac cruditatem detegere licet; qua S. VIII. p. 66. de B. virgine opponitur, *faucium illam inflammationem erysipelas anginosum fuisse, quod intro conversum lethiferum fuisset, propterque hujus recursum & disparentiam, anxietatem mortemque aurum fulminans purgando intulisse, cum potius paratis fuisset expectanda.* Ad quæ respondeo; Non satis mirari licere inconsideratam illam temeritatem, revera *intellectus sine cogitatione, secundum naturæ mysterium, concipiendi, qua in re, notorie falsissima,*

firma, *confidentissime* ad omnes practicos, imo vel omnes homines rei, ita satis vulgo nota, *conscios* provocatur; quasi ex sola iræ causa occasionali, tanquam per signum pathognomonicum (aliud enim addi non potuit) erysipelas necessario sit inferendum, & non æque febris alia essentialis, seu causus aut causodes; quæ sæpe purpura, sæpe solis sudoribus judicetur. Quam vulgo quoque notissimum est, ab ira bilem in ventriculum profundi, sicut etiam in pluribus oris amaror superveniens testatur, & ipsa προέκκρισις S. III. p. 26. huic opinioni favet; Imo annon ipse (a) fatetur, iræ non raro convulsiones succedere. Quomodo etiam juvenis opificii magister (b) & rursus Consiliarii famulus (c) ex ira gravissimis paroxysmis epilepticis opprimebantur; in quibus iidem lingvas dentibus admodum læserant, uterque vero sine vomitibus, & sine erysipelate, brevi à febribus suis convalescebant. Egregia certe hujus rei talis diagnosi & επισημείωσις est, qua sine dubio (d) multis utique modis cavendum est, ne intempestivis dubitatiunculis indulgeatur, (ut potius, quam ne) res, uti sunt, seponantur, novæ autem, quæ non tam sunt, quam solum posse fieri videntur, supponantur, veritas vero negligatur. Hoc certe modo (e) argumentum a particulari ad universale invehit crudius illud caput, (sed utrius, ut non tam creditis, quam palpatis?) quod res, crismus per abscessus, solertiam postulantes, non concoquere potest, ut præcludendum potius veniat ab omni voto in hoc senatu proferendo &c.

(a) de diversitate Corporis vivi & mixti p. 49.

(b) referente L. XI. Annal. f. 516. Anno 1706. mense Octobri.

(c) ibid. f. 597. Anno 1707. mense Martio.

(d) ut loquiter in προεκκρίσει p. 43. (e) ibid. p. 28.

§. IV. (2) Inflammatio faucium anginosa S. VIII. p. 67. urgetur, quæ, docente Hippocrate, erysipelas semper inferret, & id quidem criticum, utpote cujus recursus perniciem afferre potuisset. Verum Hippocrates (a) rectissime faucium inflammationes ab anginis, imo has ipsas inter se longissime distingvit; adeoque in B. virgine levem, simplicem & catarrhalem faucium inflammationem admitto, anginam ipsam nego. Profecto misera fors hominum esset, præsertim rusticorum, quos eodem docente, (b) faucium inflammationes frequentius & violentius corripiunt, quod magis in auram frigidiores prodire coganur; si tales

homines ne quidem sacculo, aut gargarismate, catarrhalem ejusmodi faucium inflammationem dissipare deberent; ne scilicet illa, pernicioso recurſu ſuo, eryſipelaticam ventriculo inflammationem inferret; neque hoc modo præcavere deberent, ne tumor increſcens, vereque anginoſus evadens, aut ſuffocaret, aut ad minimum ſordidum ulcus relinqueret. Cum tamen anginoſa, etiam critica eryſipelata, propter *partem* affectam, (c) maxime periculofam, ne ſuffocent, in ſe ſemper ſint aliquantum ſymptomatica, & hinc poſtulent, ut, præter morem aliorum abſceſſuum criticorum, in locis affectis laudabilibus, v.g. in inguinibus, aut ſub axillis erumpentium, eorundem incrementum ſtatim præcaveatur. Quamobrem falſum eſt, Hippocratem per abſceſſus criticos laudabiles in collo, pro iisdem faucium inflammationes laudare, cum per illos potius bubones glandulæ ſalivaris inferioris indigitare, intelligatur.

(a) L. VI. Epid. S. III. Vol. I. p. 814. Confer, C. I. ad quæſt. I. reſponſum tum Lipſienſe, tum Wittebergenſe (b) ibid.

(c) L. VI. Epid. S. II. 36. Vol. I. p. 800. & *qua parte oportet, ſi abſceſſus prodierit*, ut adeo ad laudem critici abſceſſus requiratur, ut in commoda erumpat parte, qualis certe fauces non ſunt.

§. V. Propria morbi hiſtoria *προεξιπίστω* S. VI. p. 50. confite-
tur, B. virginem, *aëre ſubturbido, cælo utique nubibus obtecto*, acceden-
te præfertim aquilonis occurſu, malum hoc domum reportaffe,
poſita vero cauſa, ponitur effectus; ſicut Hippocrates loco citato
non ſolum faucium inflammationum, ſed etiam anginarum, imo
peripnevmoniarum, cauſam inculcat frigoris appuſſum, *circa ſol-
ſtitium hybernũ, ex frequenti australium & aquilonarium ac nivoroſorum
transmutatione*. Læſiones autem externæ non ſolum per tela, ſed
etiam ex ſuſcepto frigore, præfertim partis, antea incalefactæ,
non criticos inferunt abſceſſus, ſed ſymptomaticas inflammatio-
nes. Quæ, niſi graviores, nullas omnino febres poſt ſe trahunt,
imo, ſi quæ ſequuntur, ſunt illæ ſecundariæ, non ab illarum recurſu,
ſed augmento, increſcentes; ſicut pleuritides, peripnevmonix &
anginx in quotidiana praxi hæc ob oculos ponunt, in quibus non
parotides tantum ſunt expectandæ. Hæc etiam Generoſus ille
pleu-

pleuropneumonicus orthopnoea sua evidentissime comprobatur; qui non moriebatur propter inflammationis evanescentis recursum, hinc apoplexiam inferentem, ut in propemptico excusare laboratur; sed quod propter sanguinis missionem minimam, quæ vix capacitatem internam orbis stannei (utpote quo colligebatur) complebat, pulmonis inflammatio increfcens Dnam ægrotum IV. die suffocasset. Sicut *omnino rem ipsam, in se veram*, Dni Collegæ & hospita oculis suis usurparunt. Quis medicinæ peritus hunc peripnevmonia familiarem & necessarium, effectum apoplexiæ adscribat? quanquam & hæc haud minus venæ sectionem male omiffam arguat. Cujus etiam censuræ non ego auctor sum, sed Clarissimi medici Berolinenses, qui Dominum Consiliarium Camera Regiæ, itidem pleuro-pnevmonicum, repetita venæ sectione mortis faucibus eripuerunt. Quomodo etiam ego hic Halæ in Dno Salinatore peripnevmonico venæ sectionem, duobus diebus iteratam, maxime utilem similique fortuna, jam ante fueram expertus.

§. VI. Equidem minus negatur, *anginas nonnunquam*, sed rarius, *erysipelata critica (a) ex febribus essentialibus & primariis oborta* esse, quæ recurfu suo pernicioso nocere possunt. Quam quidem notissimam veritatem illæ *disputationes de febribus secundariis & acrisis* non assequuntur, de quibus enim proprie, ac tantum, Hippocrates (b) timet, *ne rubores recurrant & erysipelas intro convertatur*. Quæritur igitur, num in B. virgine faucium illa inflammatio tale criticum erysipelas fuerit, ut ab illius recurfu perniciēs sequi potuisset? Secundum artis regulas minime. Illa enim ipso die Mercurii coeperat, febris autem horrore suo primo demum die Jovis circa meridiem supervenerat. Quamobrem eadem, febrim ipsam antegressa, non hujus effectus (certe causa sua non prior) & criticus abscessus (c) dici potest; quo febris, minera ejusdem secreta, & in abscessum ad exteriora transposita, fuisset judicata. Quamobrem febris etiam die Veneris recurfu illius, & evanescencia nondum facta, cum faucium illa inflammatione juncta, potius increfcebat, quam allevabatur. Quod si autem non criticum erysipelas fuit, sicut symptomaticum (d) sæpius etiam occurrit, neque ipsius perniciosus recurfus potest incusari.

ri. Hujus enim unica ratio est, (e) quod minera febrilis, per abscessum criticum antea secreta, & ad exteriora transposita, massæ sanguineæ reddatur, quam nova coagulatione inquinando, perniciēs recursus contrahitur. Cessante autem ratione, cessat ipsa veritas, ejusve conclusio. Rejiciuntur autoritates, & testimonia, tum Hippocratis, tum quorumvis recentiorum classicorum scriptorum, quinimo experientiarum demonstrationes a posteriori, vilipenduntur, solæ rationes a priori unice postuluntur; at rationes veræ & evidentissimæ a *crudiori capite ac intellectu, sine cogitatione*, ne quidem capi, quid dicam *concoqui* possunt; hinc enim *cavetur, ne intempestivis dubitatiunculis indulgeatur*, & assertorum rationes etiam ab ipso postulentur.

(a) Confer River. Prax. L. VI. C. VII. f. 291.

(b) Coac. III. 99. Vol. I. p. 535.

(c) Confer Responsa Facult. Lips. & Witteb. ad Quæst. II. & III.

(d) Quale est illud *catarrhale* Hipocratis de vet. med. XXXIII. Vol. I. p. 33. & in vulneribus capitis observatur XXVII. 5. Vol. II. p. 505. Tale quoque videtur *tuberculum illud durum in collo Callimedontis filii*, quod Hipp. L. V. Epid. XXVI. 12. p. 788. & LVII. Epid. XXXIV. 14. Vol. I. p. 858. refert.

(e) ut Uratislavienſes loquuntur Hist. Morb. p. 36. *Preproperi tumorum criticorum retrocessus* (NB.) *absque sensibili evacuatione, lugubrem minantur exitum, rejecto nimirum morbifico humore vel in laticem sanguinis, vel nobiliores partes.*

§. VII. Neque perniciēs ulla in B. virgine, tali a recurſu, sanamente intelligi potest, quam *προέκκρησις* crude fingit. Etenim (1) febris horrore suo (a) die Jovis ante recurſum eryſipelatis anginosi, quem illa somniat, supervenerat, adeoque recurſus die Saturni demum noctu facti, neutiquam illa effectus haberi potest, capitisque ac lumborum dolor cum anxia jactatione die Veneris, faucium inflammatione adhuc apparente, jam a me primo ingressu observabatur. (2) contra die Saturni faucium levis hæc inflammatio topicis & sudoribus (ut vel pestilentes abscessus una nocte, testantibus observationibus, (b) possunt) *disſipata erat*, (c) adeoque minime *sine ratione critica, signoque judicationis judicatorio disparuerat*; nam, secundum Uratislavienſes, (e) *preproperi tumorum recessus non nisi absque sensibili evacuatione, lugubrem minantur exitum.* Hinc etiam illo die mane, & usque ad meridiem, euphoria,

phoria, & anxietatis capitisque doloris levamen, laudabatur; quod sane, cum critici abscessus recurſu, ſemper mox dysphoro & pernicioſo, impoſſibile fuiſſet, ut Hippocratis ægrotus *Calvus* (f) exemplo ſuo teſtatur, cujuſ hiſtoria vero a B. virginis eſt alieniſſima. Qua propter (3) recurſus ille falſus, jam noctu factus, purganti deinde aſſumpto, ſana ratione ne quidem adſcribi, & hinc, tanquam neceſſarius effectus, eryſipelas, nunc capitis, nunc ventriculi poteſt excogitari. (g) *Raro enim unum quid volunt.*

(a) Ab horrore febris enim incipit, & ab hoc principio etiam dies critici ſunt numerandi, docente Hippocrate L.III. Epid. S.III. Aegr.XIII. 16. Vol.I. pag. 739. & ſecundum hunc quoque Riverius ab illo eodem numerat.

(b) Diemerbr. de peſte L. I. C. XIV. p. 89. L. IV. Hiſtor. II. p. 259.

(c) Hippocr. textum Coac.III. 100. Vol.I. p. 555. de anginoſi eryſipelatis recurſu, quem adverſarius opponit, Prænot. XXIII. 10. p. 467. iiſdem fere verbis quoque profert, clariuſ tamen mentem ſuam explicans, verbis expreſſis, docet, quæ *diſſipentur*, maxime ſudoribus, non pernicioſe recurrere. Certe à ſudoribus, calidiſque topicis illa non repelluntur, ſed potiuſ expelluntur, aut ad exteriora magis evocantur, niſi penitus diſſipentur.

(e) l. c. (f) L.III. Epid. S. III. Aegr. V. Vol. I. p. 733.

(g) Confer Reſponſa Facult. Med. ad Quæſt. V.

§. VIII. Gerræ igitur ſunt, quæ non ſecundum, ſed contra Hippocratem, ex ipſo de ventriculi eryſipelate tam vana & futilia delirant. Hoc enim, teſtantibus obſervationibus anatomicis, intolerabilem ſecum fert ſitim, quam in B. virgine *προέκκρησις* S. VI. p. 56. ipſa negat. Puelli aliaſ in Grammaticæ Latinæ compendiis addiſcunt, *quod oporteat eſſe memorem.* Ut cætera ſigna eryſipelaceæ in ventriculo inflammationis, hic omnia abſentia, taceam.

(a) Haud melioris eſt notæ, quod in textu Hippocr. de Vet. Med. *τὸ καὶμα*, inverſo ſenſu, obtorto que collo, contra Coi evidentem mentem, ad ventriculi eryſipelas pertrahatur, non ad humores in ejusdem cavitate contentos, applicetur, utpote quos tantum purgantia, ſecundum eundem, evacuare poſſunt, in illius eryſipelate contra nunquam, ut tempeſtiva, laudanda. Quam frequens ardor huiusmodi, cum anxiis jactationibus & vomitibus bilioſis, in febrium tertianarum paroxyſmis occurrit; quibus re-

mittentibus & illud *καῦμα* remittit. Quod sanè phænomenon ventriculi erysipelatis, aut inflammationis, multoque magis ex-
coriationis jam factæ, naturæ omnino repugnat. Ejusmodi *καῦμα*
seu ardorem gravissimum à solis acribus & biliosis humoribus, in
ventriculi cavo contentis, describit Thonerus, (b) addens, quod
is *per vomitus, a solis clysteribus, rejectis amaris & acidissimis humoribus,*
remiserit; cujusmodi acrium humorum copiam B. virgo etiam
per vomitus rejecit (c) Vix satis mirari licet, quod non tam praxin
quotidianam attendere, neque scriptorum observationes medi-
cas evolvere, quam cerebrinas tantum morborum historias per
somnia fingere, placeat.

(a) Confer Lips. & Witt. Facult. Responsa ad quæst. VII. (b) Obs. I. p. 7.

IX. Minoris adhuc valoris sunt, quæ p. 67. de parotidibus obji-
ciuntur, quasi eadem in anginis semper forent expectandæ, alias
recursum perniciosum evinci. Etenim pluribus Coacis præno-
tionibus collatis, facile agnoscitur, quod quidem singulæ veras
morborum historias Laconico stylo complectantur; Sed quæ va-
rient, ut nunc hæ, nunc illæ contingant; ejus saltem usus, ut me-
dicus casus similes occurrentes, attendat, concipiat, conferreque
discat. Idem igitur de parotidibus in anginis judicandum est, in
quibus, ut etiam in peripnevmoniis, eadem subinde superveni-
unt, & tempestivæ judicant; Sed rarius, non ut plurimum, ut
medicus exinde in duobus hisce morbis sanguinis missione ac to-
piciis, imo fortassis etiam sudoriferis omissis, modo parotidem ex-
pectare debeat, ne ob *naturæ*, (a) *quæ sæpius velit, quæ non debeat,*
etiamsi possit, moralem voluntatem turbatam, perniciosi recursus e-
rysipelatis inducti idem possit incusari, licet æger hoc modo certis-
simo suffocationis periculo relinquatur, testante generosi Regiæ
Commissarii exemplo. Cujus notoriæ veritati non negandæ,
mendaciorum Syncretismus absone opponitur, appositissime po-
tius ad falsatam medicamenti formulam, cum omnibus elogiis
suis, applicandus. Appropinquat enim jam tempus, quo cuculus
nomen tantum suum cantat, deciesque recantat; quod autem e-
cho, multiplicato sonograduque, ipsi retorquet ac remittit.

(a) ut *προέχεις* S. V. p. 38. certe ridicule somniat, quasi vero laudabi-
lis moralitas sit, agere & velle quempiam, quæ tamen non debeat, hanc
certe naturam imitari non decet.

§. X. Parotides autem in angina, funesto eventu, plerumque frustra sperari, exemplo suo Hippocratis (a) *anginosa* confirmat. Quod etiam confirmare possum exemplo stannarii, (b) non *crassi opificis in oppido*, sed hic Halensis, nomine Morgenstern/ qui penultimo mortis die meum petebat consilium. Ipsum inviens totas fauces sphacelo, cum summo foetore, corruptas deprehendebam, ut crassæ pelles, sine quovis dolore ac sensu, de lingua detraherentur. Audiebam illum ex febre cum delirio aliquot hebdomadas decubuisse, priorem illum medicum (secundum quem tamen *corruptiones sphacelose vix centies mille annorum spatio semel in actum deveniunt, & qui alios tantum imperitia, imo homicidii, accusare, & ut testis iudexque suspectus condemnare conatur,*) ne verbum quidem de sudore fecisse, pulveribus albis salinis, (sine dubio nitrosis) & emulsionibus (*contemperantibus*, ut ipse loqui amat,) tantum curationem suam (c) perfecisse. Manifesto documento, sine auro fulminante, sineque parotidibus expectandis, anginosos ut plurimum perire. Ego contra vetulam, nutricem ejusdem clinicam, sanguinis missione frustra tentata, & affinem gravidam, simul febre petechiali purpurataque laborantem, non omissa venæ sectione, utramque anginosam, eodem fere mense sudoriferis, præsertim volatilibus, feliciter curabam. Quis igitur talis viri suspectam *fidem vadem accipiat, quod, ut p. 60. arguit, aliorum medicorum ægroti cum gravioribus circumstantiis intereant, ad minimum lentis, hecticis & recidivis corripiantur.* Quæ potius in Menecratis ægrotos conveniunt, qui propter sudorum crises, solummodo imperfectas, non possunt non tantum dubie convalescere. Utraque dictarum anginosarum sine talibus malis adhuc sana vivit. Medicina certe non est ars, ludicra tantum, novitatibus de coriis humanis ludendi.

(a) L. III. Epid. S. II. Aegr. VII. Vol. I. p. 718.

(b) referente L. VI. Annal. Pract. f. 589. Anno 1699. mense Decembri, per constitutionem erysipelatum epidemicam, fere tum malignorum. Nominare autem B. ægrotum volui, ut veritatem quisquis percontari possit, & *syncretismus mendaciorum* quoque non eidem quadrare, intelligatur

(c) Secundum singularem suam methodum, febribus petechialibus medendi, in Obs. Halensibus mensis Maji 1698. mirifice laudatam.

§. XI. Ratio longe diversa B. Dni Parentis, Viri plurimum Reverendi, (a) erat, in quo, non *ex ira*, sed & terrore, I. die horro-
ri lumborum tantum dolor supervenerat, ut propter calorem ex-
ternum, vix naturalem, febris hectica, aut saltem nephritis, à mu-
lierculis judicaretur, egoque febrim arguens continuam, riderer.
II. demum die, ac sic post febris initium, abscessus criticus bubo-
nis parvi, mollis sublividique, in inguine coeperat apparere, ex quo
tandem die III. striis duabus lividis, crassitie fere digitum minorem
æquantibus, erysipelas obscure purpureum in crus descendebat.
Cujus dolor vehementissimus, à solo topico anodyno, quod no-
verca, me dissuadente, adhibuerat, pessima significatione mox re-
miserat, dieque IV. erysipelatis eruptionem, non quidem penitus
repulsam, jam tamen turbatam, significabat. Quod igitur hoc
pestilens nuncupaverim à præjudicatione S. VIII. pag. 75. castigor.
Rationes autem meæ sunt sequentes: (I.) similem erysipelatis hi-
storiam nunquam alias in praxi mea, 30. tamen annorum, vide-
re, nec in ullo scriptore legere, contigit; à nutrice autem quon-
dam clinica, & Notario publico, constitutionum pestilentium, in-
tellexi, eadem striarum lividarum phænomena in ipsa pestilentia
illos vidisse. (2) Hippocrates (b) integram *constitutionem pestilentis*
temporis describit, in qua, ut tum quoque temporis, *cum orientibus*
frigoribus erysipelata maligna multos peremerunt. Sic etiā (3) Fabricius
ab Aquapendente (c) adeo maligna erysipelata pestilentia vocat,
neque absone, cum in iis gangræna, velut in peste, carbunculorum,
partes corrumpat. Veterum autem terminis technicis loqui
amo, secus ac aliis, cum vel opifices artium suarum filios ex eo im-
peritiæ convincant, haud falso, quando terminis loqui technicis
iidem ignorant.

(a) referente L. VI. Annal. f. 521. mense Decembri Anno 1699.

(b) L. III. Epid. S. III. Vol. I p. 721.

(c) Chirurg. P. I. C. VIII. p. 60.

§. XII. Quod autem his objiciatur, nullam tum pestilentem
constitutionem urbem & regionem nostram afflixisse, non obstat.
Quomodo Diemerbroccius (a) testatur, *Capitaneum quendam, cum*
pestilentia nusquam in tota Geldria communiter tum grassata fuisset, No-
viomagi hac lue correptum obiisse. Annon Hippocratis Crito (b)

febre plane pestilenti obiit, cui ne unus quidem ægrotorum XIV. ejusdem constitutionis, comparari potest? Idem de *Calvo in Larissa* (c) apparet. Deinde per eandem illam constitutionem Halensem anni 1699. cum intempesto gelu, erysipelata, fere maligniora plures corripiebant. Sicut igitur in vere pestilenti constitutione centum ægri, pestilenti symptomatum vehementia, pereunt; unus tamen forte, sine quavis malignitate, erumpente bubone, evadit, qui vix ægrotavit: Ita non absolum est, contra per minus malignam constitutionem, ægrotum unum fere pestilenti malignitate perire, licet plurimi per synochos simplices, facili erysipelatis critici eruptione, judicentur, si non perfecte, tamen imperfecte, velut pluribus legere licet in Disputatione mea de Crisi per abscessus. Sed quæ fuisset in viro, exactissimæ semper diætæ, tantæ malignitatis causa? Certè digiti carbunculus, in ipso paucis mensibus antecedens, & fonticuli sudorisque acor in ipso morbo, ipsum quasi acetum referens, summam malignitatem significabant, sine dubio propter humores, ex gravi & diuturno animi mœrore correptos, cujus causam vidua non ignorabit.

(a) de peste L. IV. Hist. CXX. p. 365.

(b) L. I. Epid. S. III. Aegr. IX. p. 680.

(c) L. III. Epid. Aegr. V. p. 733.

§. XIII. Ex quibus igitur deductis firmisissime concludo, in B. Virgine faucium illam inflammationem, secundum *utriusque Facultatis Medicæ & Lipsiensis & Wittebergensis Responsa doctissima ad questionem I.* ne quidem anginosam, sed simplicem tantum & catarrhalem fuisse; multo minus autem, *secundum eadem ad quæst. II.* erysipelas criticum (quale in B. Domino Parente) fuisse, sed tantum symptomaticum. Quale vero, *secundum eadem quæst. III.* recursum materiæ peccantis, & hinc perniciem ullam, ne quidem inferre potuisse. Præsertim cum *secundum Resp. ad Quæst. IV.* talis recursus à dissipatione laudabili, per sudores & commoda topica facta, ne quidem cogitari possit. Quapropter neutiquam auri fulminantis catharsis, *secundum Resp. ad Quæst. V.* ratione recursus cujusdam illati, ut noxia, potest accusari; minime vero omnium, *secundum Resp. ad Quæst. VII.* quod id ventriculi erysipelas aut inflammationem, & ex hac denique mortem ipsam, intulisset.

CAP. IV.

Purgantia lenia, & in secundariis, & in essentialibus febribus, cum orgasmo crudorum humorum in primis viis, ut tempestiva, defendit,

§. I.

Προεκκρίσεως S. II. p. II. ut purgans quodvis in B. virgine intempestivum & nocuum demonstrare conetur, Hippocratis προεκκρίσεως μεο hunc ejusdem aphorismum (a) opponit: *Concordia medicamento purgare oportet, non cruda, neque in principiis, nisi turgent, plurimum vero non turgent.* Verum frustra clarissimus aphorismi hujus sensus mere verbosis, inanibus & obscurissimis sermonationibus confunditur, eo fine, ut contra me negativa decisio quæstionis illius defendatur: *In febribus, etiam earundem principiis, non semper & regulariter purgantium usum esse tempestivum.* Etenim Dissertatio mea de *Orgasmo*, nisi hujus excepto casu, purgantia intempestiva esse, in ipso mox titulo exponit. Quomodo etiam in illa proœmii §. IV. regulam ponit, *in febribus purgantia prohibentem, quam ampliat, ut eadem neque in principiis illarum regulariter locum habeant, sed quæ tantum casus, orgasmi exceptus, admittat.* Quapropter prorsus absone mihi certe p. 59. objicitur, quasi ego, cum chirurgis castrensibus, febrium curam semper à purgante, aut vomitorio, incipiam; praxis mea contraria est, ut vel ipsi ostendunt ægroti, dictæ Dissertationi adjecti; quos tamen ex centuriis aliorum, sine quovis purgante curatorum, conquisi. Nuspiam & nunquam in B. virgine tempestivum auri fulminantis usum ex eo capite defendi, quod in febribus, aut saltem earundem principiis, purgantia semper profint, aut requirantur. Quanta igitur Logica, non docentis, solum, sed etiam utentis, cruditas ex hoc apparet, quod ne quidem controversiæ status rite formetur.

(a) S. II. aph. XXII. Vol. I. p. 97.

§. II. Notatu vero dignissimum est, regulam hanc auream, ut-

utpote aphorismo ex aureo desumptam, adversarium ipsum non satis capere, dum prædicat, (a) in febribus, etiam acutis, purgationem semper tutam esse, modo ejusdem arcanis pilulis, quasi Becherianis, *utpote balsamicis & confortantibus*, ea peragatur. Quinimo sibi persuadet, propter minorem cruditatem in febrium augmento statuque purgantia magis tempestiva ab Hippocrate agnosci. Velut quidem illud hinc ferme apparet, quod in febribus petechialibus & purpuratis per mediam purpuræ eruptionem, non auro fulminante, lenive alio laxante, sed essentia helleborina, sub nomine *polychrestæ Elixirii*, sine quovis orgasmo, promiscue ac regulariter, largeque ac copiose purgare consueverit, ac commendet. (b) Certe, licet somnium illud singulare, *criseos exquisitæ*, in *Disp. de Acrisiis*, neque probatissimos scriptores alios, de genuinis crisibus assequatur; attamen, sicut variolas, morbillos, erysipelata, bubones, ita purpuram (c) quoque transpositionem criticam esse, illud ad oculum demonstrat, quod purpuræ, quam erysipelatis, recursus perniciosior sit, & ut plurimum lethalis. Purgantia vero talem non solum in erysipelate, sed magis adhuc in variolis, morbillis, petechiis & purpura, vel per clysteres etiam, intempestivo usu efficiunt. Eadem igitur ratio ponit eandem veritatem. Cum vero ad crudam pertineat præjudicationem, rationes à priori omnibus experienciis à posteriori præferri potius ipse *aureum illum aphorismum* melius animo suo comprehendat, ex eoque addiscat, purgantia in febribus, & magis adhuc in earundem statibus, intempestive regulariter exhiberi, & cautius per febres purpuratas esse exhibenda.

(a) Velut earundem Germanica laureola, typis edita, inter alios mirificas laudes decantat.

(b) Confer Ejusdem problemata practica in prooemio.

(c) vide Hippocr. L. II. Epid. S. III. 21. Vol. I. p. 697.

§. III. Quantumvis autem Hippocraticus meus *προεξουκρίνωσας* orgasmum unice in febribus acutis purgantia urgentem, *rarum & ut plurimum non esse*, (a) præ *προεκκρίσει*, clarius dilucidet; attamen, quod *non ut plurimum*, imo *raro fit*, non prorsus nunquam fit; quomodo illa de orgasmo inepte concludit. Ne plurium Doctorum testimonia hic recenseam, quæ purgantia non nunquam

quam in febribus acutis utilia fuisse, comprobant, unicum illud quidem, sed multiplex, Dnn. Uratislaviensium sufficiat, quo purgantium usum in febribus acutis, vel petechialibus, proficuum confirmant (b) Iccirco controversiæ nostræ status est, in quo unice litis cardo versatur, quinam illi casus excepti sint, purgantia in febribus acutis admittentes & urgentes; & num B. virginis ad illos sit referendus. Unicum hunc orgasmi esse, proposui; cujus causa habeatur copia & turgescencia humorum acrium, in primis viis, in ventriculo scilicet ac intestinis, cumulatorum, signumque inter alia, & cum aliis, præcipuum anxia præbeat jactatio. Hæc ex Hippocrate docui, secundum locorum parallelorum analogiam, quasi ex ejusdem ore plenius exposui, ægrotorum ejusdem experientia ubi vis consentiente, corroboravi; neq; vero illa mea soli Hippocratis auctoritati superstruxi, sed recentiorum pragmaticorum etiam testimoniis & observationibus, solidissime confirmavi; ut, ne verbulo quidem, hunc tamen controversiæ nostræ cardinem laceffere, quid dicā impugnare ac labefactare προέκκρησις, opposita, ausa fuerit. Falsissimum autem est, anxiam jactationem, (c) præsertim pluribus orgasmi signis stipatam (d) in febribus continuis, aut semper, aut ut plurimum observari. Cum igitur in B. virgine, ex anxia jactatione, cum spasms, lumborumque doloribus, alvi etiam obstructione crudorum humorum copiam probaverim, ipsique vomitus eosdem ad oculum demonstraverint, quis ulterius sanæ mentis, ne dicam peritiæ medicæ, in eadem lenissimi purgantis usum, tanquam intempestivum, potest improbare?

(a) Dissert. de Orgasmo C. I. §. II. p. 6. & §. XIII. p. 16.

(b) in Histor. Morb. An. 1699. p. 9. verba leguntur hæc: *Plurimi quidem febre petechiali laborantes sine ope purgantium, teste D. Grassio, Pauli, & aliis, cum sanitate in gratiam redierunt; nihilominus lenientia eximium habuisse usum, certum est. Tametsi vero statim ab initio satis sciremus, ab usu evacuantium mitiorum, in similibus febribus, non abhorruisse Sennertum, Moræum, Donckerum, Riverium, Grulingium, Langium, aliosque; hesitabamus tamen non parum, donec videremus eos, quibus repetitius deliberata, evacuans datum, facilius superare morbum. Confirmabamur etiam hinc, quod toto die cerneremus, diarrheas, si non utiliter, absque damno tamen, petechizantibus concitari; unde facile concludere licebat, nos tuto quoque sic naturam imitari, & cathartico sordes, in intestinis*

testinis herentes, eliminari posse, id quod, fluxibus hisce concitatis, natura molitur. Juvabamur hac in re diligentia nostrorum predecessorum, qui monuere nos in ejusmodi febribus, cum bonis egrorum rebus, alvum fuisse laxiorem, ut constat ex Gerhardi Columbe Messanenensis tr. de febre pestilenti, Variola in Obs. Med. L. 6. de Febr. imo ipso Galeno L. 5. Meth. Med. C. XII. & Hippocr. in Libr. Epidem.

(c) ut videre est in citata Urat. Hist. p. 4. (d) secundum Diff. de Orgasmo C. I. §. XIV. p. 16. (e) Hippocr. de Victu Acut. XLI. 4. Vol. II. p. 301.

§. IV. Equidem p. 13. reponitur, quod illud ὀργᾶν aliquid esse debeat, à simplici cruditate jam actu discedens, & qualicunque coctioni similis. Verum, quanta cruditate cruda coctaque, sicut quadrata rotundis, confunduntur, miscentur & remiscuntur! Hippocrates enim in aureo illo aphorismo *cruda non purganda esse, nisi turgent, ἢ μὴ ὀργᾶν*, proponit: exinde igitur necessario sequitur vi conversionis logicæ, turgentia, & purganda, esse cruda; ut adeo illud ὀργᾶν cruditatem includat, non excludat. Sic etiam rationem ac mentem suam Cous alibi (a) clarius exponit, quod ideo in orgasmo per febres purgandum sit, quoniam *maturitas* & coctio crudorum illorum humorum, toto febris tempore, propter maximam eorundem copiam, non contingat, neque à medico sperari possit, neque expectari debeat; aliasque foret, ut tanta primarum viarum cruditas, futuris insultibus criticis, ipsam massam sanguineam ingressura & corruptura coctionem hujus, proprie febrilem, omnino inhibeat, velut Differt. de Orgasmo C. I. §. VIII. copiosius hæc declarat.

(a) de Humor. I. Vol. I. p. 315. ubi hæc leguntur: *Impetus & ferocitas humorum duci debet, qua repit, per convenientes ac commodas regiones, exceptis his, quorum maturitas tempore contingit.*

§. V. Deinde dilucidavi, ὀργᾶν illud plane nihil cum minera febrili massæ sanguineæ, ejusque coctione ac cruditate, adhuc participare, secundum analogiam aphorismi Hippocratici sic sonantis: *Prægnantes medicamentis purgare oportet, si turget, ἢ ὀργᾶν, IV. mense usque ad VII. m. minus vero has, juniores autem & seniores vereri oportet.* Gravidæ autem non necessario febricitant, & eadem non febricitantes eo facilius medicamentis purgari possunt; er-

go illud *ἀπὸ τοῦ αἵματος*, cum in illis etiam observetur, necessario nullam febrilem infert coctionem, propter quod tamen gravidæ, haud secus ac febricitantes, regulariter & ut plurimum non purgandæ, talia tamen medicamenta postulant, crudis humoribus in primis viis redundantibus. Mirari licet, quam obrem non hic etiam aphorismus crudæ præjudicationi fuerit collatus, cum is scrupulum eadem facillime cruditatis omnem exemisset. Num hoc aphorismo, qui tamen bis repetitus, (a) quidam Hippocratici codices plane destituantur? Alias enim, sicut ego meam B. virginis infelicitatem, sic alias suam quoque, certe majorem, per eundem organum, ex illo purgare laborasset. Qua gravidæ, (b) ceu hydropica (c) tractata, propter purgantia, per hebdomadas plures ab ipso exhibita post copiosas dejectiones, ad sanguinem usque, vere cruda *προεκεχρυσται*, post aliquot tempus obiit, foetu mortuo prodeunte. Profecto minori turpitudine illa excusatio suscipi potuisset, quam quod rei, verissimæ ac notoriæ, furiosus, & scurriles sarcasmi, replicentur; quo ipso, tacita potius confessione, confirmatur, quod casus ille ipsam *noctuanam, lucem apertam non pervidentem*, de qua in propemptico, quinimo talpam potius, oculorum defectu, cœcutientem, proprio digito demonstret.

(a) S. IV. aph. I. p. 82. S. V. aph. XXIX. Vol. I. p. 93.

(b) Licet enim graviditas non nunquam difficillimæ diagnoseos sit, ut facile illa medicos fallat, in falsis præsertim virginibus; attamen in conjugibus, etiam re dubia, cautius agat medicus, & tutissimam viam eligat, imitatione Hippocratis, qui L. VII. Epid. VI. Vol. I. pag. 831. *Harpalide sorori prægnanti, circa IV. aut V. mensem tumores circa pedes aquosos habenti, & corpus totum in tumorem elevatum, nullum tamen purgans exhibuit, sed alio modo eam sanavit, feliciter tamen, ut pepererit fœcellam.*

(c) Præsertim cum nec hydrops ex mensium suppressione tantam catharsin, & unicam fere, urgeat, sicut merito increpant Uratislavienses Histor. Morb. p. 123. *tonsoriam hanc stupiditatem & anicularum fatuitatem, subjungenites: Infamia patrant latrocinia, quoties hi suis vehementissimis purgantibus mulieres, ex mensium suppressione hydropicas, quas deobstruentibus à sarcina hac liberare nobis mos est, tractant; quoties suis secretis torquent, cum iis cordati medici digestivis & aperientibus subvenire possent; aliquando enim non vita, sed mors consistit in excretionibus.*

§. VI. Objicitur (3) S. II. p. 17. quod propter cruditatem evacuationes tales in principio natura nunquam, nisi malas, vel suscipere vel absolvere possit. Quæ ratio primo intuitu multum in recessu habere videtur. Nam, docente Hippocrate, (a) in medicamentorum purgantium usu, è corpore talia educere oportet, quæ, sponte etiam prodeuntia, prosunt & contra. Verum enim vero sæpe quidem alvi fluxus vomitusque symptomatistici & maligni, non solum in febrium augmento & statu, sed in principio etiam, observantur, (quod quidem ab ipsa *πρὸς ἐκκρίσει* p. 27. & 28. fere negatur.) Sed contra non raro vomitus critici, ac dejectiones laudabiles, cum euphoria & levamine, maxime per febrium principia occurrunt, (ut ipsa ibidem confirmat.) Ipse Hippocrates judicationes febriles enumerans, iisdem addit: (b) si alvus mucosa & cruenta egerat de repente, vomitusque non pravi contingant circa judicationem; (sicut die III. in B. virgine) Et alibi: (c) Sursum subpurgare (id est leni medicamento, quale aurum fulminans est, movere) oportet in exacerbationibus (criticis,) tunc enim sua sponte elevantur, cum anxii, & capite gravati fuerint, ac se jactarint, (sicut B. virgo.)

(a) S. IV. aph. II. Vol. I. p. 82. (b) Coac. I. 218. Vol. I. p. 534.

(c) L. V. Epid. XXV. 16. Vol. I. p. 787.

§. VII. Quinimo IV. p. 31. male ominatur, ab ira si nulla excretio, per vomitum aut alvum succedat, unde patiens sub gravissimis inquietudinibus (seu anxiis jactationibus) aut oppressoribus cardiognis tantum ad mortem perveniret. Quæ ipsa quoque Hippocrates confirmat, dicens: (a) Qui anxie se jactantes citra vomitum exacerbantur, male habent, itemque qui lancinantur (cardialgiis) citra vomitum. Baglivus (b) Sæpius vidimus, inquit: ægros deliros, inquietos & anxios, diarrhœa superveniente sequenti die in melius abiisse. Uratislavienfes scribunt: (c) Ægri perpetuo jactabantur, nec ullam decubitus figuram servabant, præsertim illi, qui nec per vomitum, nec per sedes, materiam acrem ac fervidam rejiciebant; in quibus etiam æstus gravior, fauces aride, & sub finem deliria comatosa, quæ semper fere funestum in hac febre minantur exitum, notabantur. Et paulo post: Nam certum est, in primarum viarum canali materiam urentem ac fervidam reperiri, præsentem

hoc affectu, nec dubitandum, quin facile, si non per vomitus aut sedes tempestive ejiciatur inflammatio, & forsan majori ex parte in duodeno sequatur. Ab hac vero omnino par est, ut jectiones, anxietates & vigilias deducamus: Qualia Hippocratis autem sensu, certe nescio quo, p. 68. mihi tanquam contraria opponuntur, quasi acris materia per vomitus saltem parvos tantum mota, non excreta fuisset; quos alias semper largiores & excedentis violentiæ Syncrētista generis communis inculavit, ut ne quidem equus illis sustinendis par fuisset. Tres alvi dejectiones, præter unum vomitum, aut plane tres, sicut posthæc intellexi, non parvi dici possunt; imo unus vomitus non critica parvitate peccat, si modo sit copiosus, præsertim si tres dejectiones ipsi jungantur. Cum contra hæc ipsa Hippocratis Coaca prænotio evidentissime inculcet, anxietates & lancinationes cardialgicas ideo febrium malignitatem exacerbare, quod non per vomitum humores acres excernantur.

(a) Coac. IV. 9. Vol. I. p. 578. (b) L. I. Prax. C. IX. S. VI. p. 68.

(c) Hist. Morb. An. 1699. p. 60, 61.

§. VIII. Quando igitur (a) *natura non sponte* malignos illos humores *dimittit & excernit, per medicinam* (non illam sine medico, qualem *medicus sine medicina* delirat, sed cum & à medico) *eadem* ad similes excretiones *cogatur & stimuletur*. Nam (b) *medicus, qualia & quando sponte judicarent, talia medicamentis suis machinari debet*. Unde manifesto elucet, quod imperitiam, haud excusandam, commisisssem, quando potius laxantem illum pulverem aureum non præscripsisssem, neque acerrimos illos crudos humores primarum viarum in B. virgine eliminasssem; minime vero, quod hæc egerim; sicut etiam *Responsa Facult. Med. Lipsiensis & Wittebergensis ad Quæst. VI. VII. & VIII.* præclare confirmant. Profecto si res exactius pensitetur, apparet, vomitus & dejectiones illas non tam huic medicamento, alias ad illas longe impari, deberi, sed salutari crisi diei tertiæ per vomitus, quos natura, levisimo hoc stimulo adjuncta, eo facilius suscepit; velut verissime quoque *Responsum Witteb. ad Quæst. VII.* expresse monet. Tanta humorum acerrimorum copia, quantam B. virgo per vomitus alvi que dejectiones excrevit, nullo certe modo per universam febrim concoqui potuisset,

tuisset, sed omnes coctiones crisesque febriles eo magis denegasset; ac facile, ut Uratislavienses (c) loquuntur, pluribus scilicet diebus sic elapsis, *inflammationem* ventriculi excitasset; quanquam illa tunc nondum jam facta fuerit. Quinimo si ab illorum tanta acrimonia, quantam *προέκκρησις* somniat, per unum tantum alterumque diem corrosione sua ventriculum erysipelate inflammasset, necessario inter paucos plures dies, haud vomitu rejecta, instar veneni & ipsius arsenici, ventriculum totum erosisset, sphacelloque per se lethali enecasset. Qua ratione aurum fulminans, & dejectiones vomitusque illud secuti, non solum utilissimi, sed etiam necessarii, secundum omnes artis medicæ regulas non possunt non haberi.

(a) Hippocr. de arte XXI. 32. Vol. I. p. 13.

(b) de Humor. III. 68. p. 318. (c) l. c

§. IX. Neque vero angina, multo minus autem levis faucium inflammatio, etiam adhuc præsens, sicut quivis abscessus & inflammationes symptomaticæ, febrium etiam secundariarum, v. g. pleuritidum, peripneumoniarum (præsertim cum orgasmo, ut in B. virgine) purgantia prohibent, ut illius lenissimi laxantis usus inde intempestivus evinci posset; ut quoque Responsum Lipsiense ad Quæst. VI. comprobat. Ne solo Hippocratis, fortassis obsoleto, testimonio me pugnare quis Elias artista, medicinam prorsus innovandam somnians, incuset, Antonius de Heide scribit: (a) *se sæpius in anginis, maxime catarrhalibus, ab assumpto purgante præsentaneum levamen notasse*, ut tribus exemplis subjunctis corroborat: (1) *Mulier 30. annorum, ab externo frigore suscepto, faucium difficultate summa correpta, nihil fere deglutire potuit, aëremque cum sibilo duxit, a venarum raninarum sectione, ac alvo clysteribus aperta, ne minimum quidem levata fuit; sed facile rursus deglutire cœpit, quamprimum extractum purgans assumptum quatuor copiosas sedes excitavit.* (2) *Virgo 16. annorum febre acuta laborans, nec non tumore fauces obsidente, ab infusione foliorum sennæ bis deiecit, sequenti mane tumor multum imminutus est, & die tertio ægra sanitati restituta.* (3) *Sexagenarius, cum rubore faucium tumidarum ne liquida quidem deglutire potuerat, die tertio*

à pulvere, ex resina jalappæ & RhaBarbaro, septem vel octo sedes habuit, tali successu, ut rursus sine impedimento deglutire potuerit. Haud secus Riverius (b) pluribus exemplis attestatur, in anginis aquæ benedictæ ex croco metallorum, longe vehementius vomitoriæ, usum maxime proficuum fuisse. Forestus (c) Tralliano adstipulatur, quod in anginis sanguinis missio & purgatio, uno die optato fructu fuissent in usum vocatæ. Uratislavienses (d) confirmant, in angina vomitoria quidem se omisisse, subinde tamen purgantia leniora propinasse, (quale omnino aurum fulminans est) præprimis, quod tamen rarius contingit, si crassæ ac nebulosæ essent urinae, his enim præsentibus in qualibet inflammatione ad purgationem (NB.) à principio confugere nos posse, scimus, edocti à primicerio Hippocratis interprete, Prospero Martiano. Et sane prudens hoc monitum fuit nobis, instar columnæ vialis, in bivio constitutis. Quanto minus igitur in B. virgine, propter faucium inflammationem, ne quidem anginosam, auri fulminantis usus intempestivus potest accusari.

(a) Obs. I. p. 51. (b) Cent. II. Obs. X. f. 588. Obs. XXIV. f. 592. Cent. IV. Obs. LX. f. 645. (c) L. V. Obs. XIII. (d) Hist. Morb. p. 48.

§. X. Quinimo in febribus, tamen primariis, & essentialibus, cum abscessibus criticis, bubonibus, variolis, morbillis, petechiis & purpura, materiæ quidem peccantis recursus perniciem afferunt certissimam, & à lenissimo purgante sæpius promoven-
tur. Sed hæc eveniunt magis in augmento statuque, illis jam erumpentibus, ubi vel clysteres nocere certum est; & nocuisse observavi. Attamen in eorundem principio, urgente orgasmo, crudorum humorum in primis viis evacuatio hæc cauta & tempestiva haud omitti debet, velut his etiam Responsum Lipsiense ad Quæst. VI. adstipulatur. Willis (a) testatur, medicum quendam Londinensem, circa pestilentia adfectos felicissimum, in principio, antequam bubones pestilentes, tamen, apparuissent, ut plurimum vomitorium ex croco metallorum, aut vitriolo albo, præscripsisse; vomitione vero finita statim, diaphoreticis exhibitis, in sudorem conjecisse. Non hic urgebo singularem illam constitutionem febris cujusdam pestilentis, utpote non facile imitandam, de qua Riverius (b) testatur, quod in eadem
paro-

parotides intra biduum, accedente delirio, stupore, motibusque convulsivis, omnes perdidissent, & quidem circa diem XI, nisi quibus post venesectionem sequenti die purgans ex senna fuisset exhibitum, quibus tentatis omnes feliciter evasissent. Potius ex eodem profero, magis regulare esse, quod (c) scribit: Utilissime non raro purgationem institui ante variolarum eruptionem; at variolis apparere jam incipientibus, purgationem fore perniciosam. Quem etiam Ballonius (d) confirmat. Sic ex informatione B. Mauricii Hoffmanni, P. P. Altdorffini, Pragmaticique celeberrimi & eruditissimi, sæpius in variolarum principio, successu optimo (velut inferius Observationes in Decadibus recensendæ docebunt,) mox vomitorium aut solum exhibui, aut mixturæ diaphoreticæ magis addidi, (sicut etiam in B. virgine auro fulminanti diaphoretica junxi.) ne scilicet secundum unicam rationem, in febribus purgantia prohibendi, natura in motu suo à centro ad peripheriam, sicut loquuntur, tam facile simul turbaretur; non enim cruditates ex massa sanguinea, sed ex primis viis, talibus in casibus, purgantibus evacuare animo intenditur. Quando igitur neque bubones pestilentes, neque variolæ, ex ratione recursus timendi, purgantium usum, modo cautum & tempestivum, in principio simpliciter prohibent; quanto minus in erysipelatibus, etiam criticis, recursus perniciosi metus simili eorundem usui contradicit, imo illum homicidii accusat, cum sumiolo naturali Salano, D. Olbrechten.

(a) de Febribus C. XIII. p. 238. (b) Prax. L. XVII. Cap. I. f. 547. Cent. I. Obs. XLIII. f. 563. (c) Prax. L. XVII. C. II. f. 551. (d) L. II. Epid. pag. 141.

§. XI. Eadem igitur cum sit erysipelatis ratio propter eandem transpositionem criticam, ita quoque de illo eadem ponitur regula, ut etiam in illo critico purgantia modo tempestiva profint. In erysipelate ipsius pestilentis constitutionis Hippocrates (a) crisin salutarem fuisse testatur, si per alvum turbatio quadam tempestiva, aut urinarum bonarum excretio, contigisset. Idem quoque (b) in pulmonis erysipelate docet, quod viscera sugant, & ager vomat pituitam (ne quidem bilem, quam solam præjudicans tum urget,) velut acetum, & dentes stupefiant. Cum autem non vomuerit, additur,

digress-

digressa die tormen & dolor in ventre oboritur, & excrementum alvi liquidum procedit. Huic, denique subjungitur, pharmacum deorsum purgans dato. Quos vomitus fere in singularum partium erysipelatibus praxis quotidiana ostendit. Quomodo (c) villica Consiliarii Ducalis, per incipientem erysipelatis eruptionem, cum ignorantia, delirabat, hoc autem per maculam faciei purpuream apparere incipiente, resipiscebat, sed gravissima cardialgia remanebat, donec a medicamento, non vomitorio, sed pulvere cinnabarino-diaphoretico die tertio per plures vomitus copiosam saburram rejecisset, brevi sic febre convalescens. Quos naturæ motus criticos laudabiles medicamentis suis laxantibus imitari debet medicus; sicut Lossius (d) de capitis erysipelate, suo ipsius, hæc comprobabat: quod cum horrore, hinc totius corporis insigni calore, & levi quodam delirio, eundem opprescit. Cujus ergo, post sanguinis uncias viij detractas, die tertio cholagogum ex infuso Rha Barbari, cassie & tamarindi, assumpsit; posthabita concoctione, ac humorum preparatione, cum turgens & effrenis humor celerrime sit evacuandus, priusquam se ad partem nobilem recipiat.

(a) L. III. Epid. S. III. 44. Vol. I. p. 723. (b) L. II. de morb. LIII. Vol. II. p. 79. (c) referente L. XI. Annal. Pract. f. 596. Anno 1707. mense Februario. (d) L. I. Obs. XXV. p. 70.

§. XII. Præterea capite præcedenti erysipelas non semper criticum, sed etiam subinde symptomaticum esse, taleque in B. virgine illum faucium catarrhum fuisse, docui; in quo vero recursus perniciosus, ut non timeri, sic nec purgantia prohibere potest. Nam docente Hippocrate, (a) *in omni ulcere, accedente erysipelate, corporis purgationem facere oportet, sive sursum, sive deorsum. Item (b) Avulnere capitis, osse denudato, si tumor rubicundus erysipelatodes accesserit, in facie ac in oculis utrisque, aut altero, & si quis tumorem contingat & doleat, & febris corripiat rigorque. Hujus infernam alvum deorsum purgare oportet medicamento, & ubi sic purgatus fuerit, & febris dimittit, sudor sedatur, & sanus evadit. Quomodo Baglivus: (c) Erysipelate faciei laborantes, inquit, vidi brevi curatos post præscriptum purgans remedium, ægri naturæ accommodatum, idque in secretis erat medico Patavino. Quos etiam recentiores alii scriptores, tam chir-*

rur-

rurgi quam medici, comprobant, ad unum omnes, pro erysipelatibus curandis, purgantia fere vix satis caute, laudantes. Unde facile apparet, in B. virgine illius aurei pulveris laxantis usum intempestivum ne quidem solide argui posse; quamvis, quod tamen non conceditur, ejusdem faucium inflammatio erysipelas criticum exhibuisset, quanto minus autem, si tantum symptomaticum illud fuisset; velut rursus *Responsum Lipsiense ad Quæst. VI.* verbis expressis confirmat.

(a) de Ulcer. VI. Vol. II. p. 668.

(b) de Capitis Vuln. XXVII. p. 705.

(c) L. I. Prax. Med. C. XIII. §. VI. p. 122.

§. XIII. Quomodo etiam Præfectus militaris (a) Ducis Saxonæ, 40 circiter annorum, crassi & obesi corporis, ex occasione iræ, primis duobus diebus vigesies per alvum dejecerat, hinc alvo sponte suppressa, ventris tormina coeperant affligere, cum quibus, & præcordiorum doloribus, anxie se jactabat. Præscribebam in eadem officina (in qua B. virgini) auri fulmin. & cinnabar. antim. aa. gr. vij, unde vero, alvo plane non dejiciente, dolor antea totius abdominis, ut ne digiti quidem attactum admisisset, die quarto mane sinistrum tantum hypochondrium, sed acerbius, affligebat; quamobrem clyster injiciebatur, unde copiosa per alvum, summo cum levamine dejecerat, qui vesperi ergo iterabatur. Die V. urina, primum tenuis rubra, hinc turbata cinnabarina, conspiciebatur, per noctem sponte aliquoties dejecerat. Sed jam propter leviolem quendam pedis dolorem, quasi ex subluxatione, velut sibi perfvadebat, non ingredi poterat; verum mox ipsa podagra, ipsi antea familiaris, cum acerbo dolore, macula quasi erysipelacea, erumpere coeperat. Die VI. mane idem pulvis ex auri fulminantis & cinabarii antimonii ana gr. vij rursus assumebatur, sed ne unica quidem dejectio eodem die seqvebatur; verum sequenti VII. cum perturbatione critica bis vomebat, non dejiciebat, copiosos tamen flatus emittebat; hinc, cum sudore critico largissimo, plenius arthriticus tumor erumpebat; quomodo die XI. & XIV. sudoribus largis perfecte judicabatur, tumore pedis

aliquo quidem adhuc superstitie, sed admodum indies decresciente, ut peregre rursus abire posset.

(a) referente L. IX. Annal. Pract. f. 541. Anno 1702. mense Decembri.

§. XIV. Denique S. VIII. p. 70. alium Hippocratis aphorismum mihi objicit, sic habentem: (*a* *Purgare oportet in valde acutis, eadem die, si surget, in talibus enim cunctari, malum est.* Verum ego post meridiem demum, die Veneris, consulebar, & ad invisendam B. virginem rogabar; adeoque primus meus ingressus, quo ipsam anxie se jactantem, offendebar, circa horam tertiam aut quartam ejusdem diei fiebat. Quo igitur tempore vespertina exacerbatio, quam ipse non negat, jam appropinquabat, maxime vero, antequam medicamentum in officina pro more componeretur indeq; accerferetur. Per hanc autem in febribus medicamentum laxans exhibere, Hippocraticum *προεξευκνέει* medici non ad nittit, sed præjudicii cruditas postulare. Quantas etiam turbas noverca, serena luce, propter has dejectiones movebat, ne spe sua testamenti excideret; quanto majores illa noctu fuisset excitatura; & si per diem, propter hypocaustum fere frigidum, dejectionibus alvi ventris tormina non poterant non supervenire, quæ mala noctu potuissent accumulari. Exinde consultius hæc catharsis ad crastinum mane differri videbatur, præsertim cum alvi dejectio spontanea per noctem speraretur. Quod si vero post meridiem die Jovis, aut primo mane diei Veneris, me consulissent, omnino secundum hunc aphorismum, (mihi, velut Dissertatio de Orgasmo docet, non ignotum) lubentius mox hanc eandem formulam præscribere maluissem.

(a) S. IV. aph. X. Vol. I. p. 83.

§. XV. Hujus interim aphorismi practica cautela me monebat, ne laxans illud medicamentum, *novilunio* (*a*, etiam non obstante, velut mihi *προέκκερτις* quidem exprobrat, ulterius differrem, cum morbi principium hac ratione præterisset. Accedebat hæc etiam ratio, quod, monente Hippocrate, *anxia jactationes* prodromi plerumque sint *convulsionum*; quarum prognosin illi totius

tius finistri lateris spasmodici, non hemiplectici, torpores confirmabant; novilunia vero morbos convulsivos ut plurimum exasperent. Quantumvis igitur malignos astrorum influxus medicamenta nulla cohibere valeant; attamen eadem operationes & effectus illorum in ægrotorum corpora emolliunt, quando ventriculi humores, ad morbos convulsivos disponentes, prius expurgant, ne his illi concurrentes geminato vinculo suo fortius & certius ligent. Quomodo quotidiana praxis ostendit, paroxysmos epilepticos, & insultus arthriticos, cum noviluniis recurrere solitos, emolliri & leniri, si proxime ante ipsa, præservationis ergo, purgans usurpetur; & fortassis, nisi hæc evacuatio humorum acerrimorum prævenisset, paroxysmi penitus epileptici B. virginem oppressissent. Quod autem hac ratione conscientia magis, quam famæ meæ, consuluerim, christiana patientia divinæ voluntati & directioni committam, qui tempestive à malis his me rursus liberabit.

(a) ut hunc superstitiosum astrologiæ abusum merita censura tangit de me, magisque de republica medica, meritisimus Bohnius de Officio Medici C. IX. p. 215.

§. XVI. Notandum autem est de opposito hoc Hippocratis aphorismo, quod is *de febribus valde acutis*, τοῖσι λίγν' ὄξεσι, loquatur, quales secundum ipsum (a) *sunt malignissima & acutissima, quasignis horrendissimis oborientes, quarto die aut prius occidunt*, & in constitutionibus epidemicis vere pestilentibus, frequentantur. Cujusmodi vero malignitas illius temporis haud erat, quam alias cœmnem in B. virginis morbo ipsa προέκκρισις negat; ne dicam eandem septimo demum die mortuam fuisse. Neque vero istius aphorismi sensus eo perverti debet, quasi mox primo die purgans in febribus quibusvis sit exhibendum, adeo ut illo die præterlapso hoc deinde prorsus sit intempestivum. Hippocraticus προέκκρι-
κεν ἡσας, (b) de usu purgantium tempestivo in febribus docens, de illis morbi principium proponit, tacite innuens, in hoc illa facilius adhuc locum habere; quod vero quarto demum die finitur, cum insultu critico primo; licet de omnibus febribus concedam, quo citius eo tutius, in iis purgantia esse exhibenda. Quomodo

idem alibi: (c) *si febre detinente, inquit, non purgentur, neque sursum, neque deorsum, dolor autem per totum corpus (seu ventrem) affuerit, tertio aut quarto die pharmaco leni deorsum purgato.* Imo ait: (d) *si mollem ac vacuum ventrem habenti febris ardens (causus) accedat, si tibi commodum esse visum fuerit, medicamentis purgare, intra tres dies id ne feceris, sed quarto.* Quamquam fatear, sphalma me libellionum hic secundum praxin medicam suspicari, ut potius legendum arbitrer: *Si mollem ac vacuum ventrem non habenti causus accedat, si tibi commodum visum esse fuerit, medicamentis purgare, intra tres dies id facito, (ad summum) die quarto.* Etenim fere accedo Jouberto & Deckero, (e) *in causo die secundo purgandum esse, & nisi intra triduum, ita commodum purgationi locum non esse.* In B. virgine autem purgans illud die secundo adhuc præscribebatur, etenim, ut jam monui, ab horrore primo diei Jovis, criticorum dierum computatio est instituenda, secundum quam dies criticus secundus circa meridiem diei Saturni demum desinebat; ut taceam, verum criticum diem (f) insultus primi, ut non quartum diem communem complere, ita nec in primis horis diei tertiæ incipere.

(a) de Judicat. II. 5. Vol. I. p. 539. & Prænot. XX. 3. p. 464.

(b) S. I. aph. XXIV. p. 72.

(c) de Affection. XIII. Vol. II. p. 169. Confer etiam L. III. de Morb. XVII. 51. p. 108. de Victu Acut. L. 4. p. 309. LII. 14. p. 311.

(d) de Victu Acut. XLII. 1. p. 302.

(e) de Methodo Med. p. 269.

(f) secundum Hippocratem de Judicat. II. 13. p. 439.


§. XVII. Denique vero ex opposito aphorismo, quod *purgare oporteat, si turget*, adversarii spontaneam confessionem, tanquam convicti, accipio. Quia omnes malignas animadversiones de intempestivo laxante in B. virgine, confusiones & obscurationes clarissimorum aliorum Hippocratis textuum, & obscurissimas quasque argutias mihi oppositas, necessario ipse redarguit convellitque. Etenim ipso sic approbante ac confitente secundum Hippocratem praxinque medicam, non solum in febribus acutis *haud nunquam*, ut ille quidem p. 14. 17. mavult, purgare licet; sed potius *oportet purgare* in febribus, etiam *valde*, quid dicam, minus

nus *acutis*, aliquando & tum, si cruda materia in primis viis *turget*, & orgasmus ille per sua signa anxietatis jaclationis, cum lumborum doloribus, convulsionibus &c. (ut in B. virgine) significatur; ut tum imperitiam crassam committat non is medicus, qui blandum laxans exhibet, sed is, qui illud omittit, magisque adhuc, qui velut intempestivum illud tum incusat. Sicut hæc nostra præclare confirmant utriusque *Facultatis Medicæ Lipsiensis & Wittebergensis doctissima Responsa ad Quæstiones V. VI. VII. VIII.*

CAP. V.

Aurum fulminans, à contumeliosis animadversionibus purgatum, in febribus acutis, aliis omnibus laxantibus præfert.

§. I.

 Væritur itaque, num in B. virgine aurum fulminans vehementius, aut præ aliis purgantibus incommodius fuerit? Quæ, reclamantibus ad unum omnibus practicis, non solum plurium aliarum civitatum summis medicis, sed etiam paulo magis sobriis chirurgis castrensibus, solus præjudicans, pro sua unice paradoxa sapientia, non dubitavit affirmare; fortassis etiam ne aurum fulminans minimum prærogativæ, penitus supereminenti secretarum ejusdem pilularum, quasi Becherianarum, detrahat. Quanta enim vis sit commodi proprii, præjudiciis obnubilandi, non solum in moralibus, sed etiam physicis, non est, quod multis hic excurram. Etenim non sine ratione *mysterium* illud *naturæ* non tam physicum est, quam *morale*; cumque illud fere totum in pilulis hisce cunctipotentibus fundetur, quid mirari licet, illas *intellectu morali, sine cogitatione* quidem, instar *naturæ*, noxios tantum humores purgare, imo ipsam

naturam superare, (a) quæ quippe sæpius haud *velit*, quæ *debet*, etiam cum *possit*. Quod igitur præjudicium ut de auro fulminante Sectio V. p. 48. defendat, *Etmüllero notante, vehementiam vitrioli albi objicit*; quod quidem non B. virgini præscripsissem, sed aliis meis ægrotis. Verum jam non de his, sed de illa, controversia inter nos agitur; falsumque est & falsissimum, quanquam sine imperitiæ nota illud fieri potuisset, unquam unico ægroto meo, in universa praxi mea, quantum ego memini, me illud præscripsisse; sicut etiam ægroti omnes, in Dissertatione de Orgasmo à me propositi, ore uno loqvuntur. Quomodo vero ex vitrioli albi vehementia, talis auri fulminantis probari potest? Quæ potius est *logicæ* magi *utentis*, quam *docentis*, cruditas, ut argumentum à majori ad minus non comprehendatur? His ipsis non confutor, sed confirmor. Etenim ex Willisio vitriolum album *non in crassis opificibus*, sed in virgine nobili, & ex Riverio, *non in oppido medico*, illud ne quidem infantibus, orgasmo indicante, nocuisse sed profuisse, comprobavi; ergo multo minus aurum fulminans longe mitius catharticum, imo vix tale dicendum, vomitibus & dejectionibus suis in B. virgine 19. annorum, propter orgasmum, nocere potuisse conclusi. Quod argumentum meum, vitrioli albi vehementia, hac ratione objecta, ne minimum quidem convellitur, sed corroboratur.

(a) Sic enim *πρὸς ἑκκλ. σ. 15* S.V. p. 38. *naturæ moralitatem* depingit, qualem vero magistrum, non honesti medici, sed furciferi magis, imitantur.

§. II. Dum vero Etmüllerus ab adversario mihi opponitur, idem ab eodem approbatur, neque illius testimonium pro me, contra ipsum improbari potest. Hic autem in tenerrimis infantibus, eorumque convulsionibus, aurum fulminans nobilissimum & præstantissimum medicamentum esse, sequentibus (a) præclare attestatur: *Aurum fulminans magnæ observatur efficacæ, ut non immerito à quibusdam insigniter extollatur, contra tormina infantum, & pertinaces alvi obstructiones, etiam exinde imminentem epilepsiam, (ut plurimum comitante febre acuta.) Datur infanti, (NB.) aliquot dierum, vel etiam unius septimanæ, gr. j. cum gr. iij. nitri depurati, vel etiam*

iam n' tri antimoniati. Datur etiam solum, absque addito, in iis, qui jam sunt aliquot septimanarum, ad gr. ij; propinatur in lacte. Præter alios effectus, quos aliquoties miratus fui, tormina sistit, horridas alvi dejectiones promovendo, & insultus epilepticos sopit. (NB.) Varietas observatur in ejus operatione, nunc citius, nunc tardius operatur, debilius itidem aut vehementius, prout, uti suspicor, plus minus in ventriculo infantis, à grumo lactis, vel muco pituitoso, irretitur & quasi inviscatur; aut prout ego suspicor, cruditas primarum viarum majore aut minore copia peccat. Quod si aurum fulminans igitur tantas laudes in teneriorum infantum morbis meretur, ejusque virtus antepileptica se probavit, quanto magis in B. virgine 19. annorum prodesse, ad minimum innoxium illud esse, debuit.

(a) Valetud. Infantum C. III. §. 9.

§. III. Huic, ut testes omni pariter exceptione majores, jungantur Wedelius & Bohnius, germani duo Hippocratis filii, velut venerabili senectute, quam DEus porro clementissime sospitet; sic & multijuga doctrina, longaue experientia patrifantes. Quorum ille: (a) *Magisterium hoc auri fulminantis, inquit, maxime activum est, medicamentumque egregium, quod vires habet carminativas, in colica & tympanitide conspicuas, purgantes, siquidem non adeo accurate (NB.) edulcetur, ob sal sulphureum; sudoriferas, si id ipsum fiat, elutriatis salibus; unde & (NB.) cordiale est, & renovativum & antepilepticum.* Bohnius: (b) *Sine omni molestia fere, ait, evacuant purgantia in minore dosi exhibitæ, si modo bina vel trina grana auri fulminantis ipsis combinentur.* Illustris Boyleus (c) *aurum fulminans, quantum ipse confirmare posset, nobilissimum purgans laudat.* Hannæus (d) *auri fulminantis admirandam opem in colica consummatissima se aliquoties expertum fuisse, testatur.* Frid. Hoffmannus senior, felicissimus quondam hujus urbis practicus, (e) *Habet aurum fulminans, ait, vim diaphoreticam, ad gr. iij vel jv. in convenienti liquore exhibitum. Interdum utramque operationem, & catharticam & diaphoreticam, exercet; prout à salibus magis vel minus liberatum est, magis vel minus etiam sudorem movet, vel purgat.* Et paulo post: *Aurum fulminans cum saccharo Saturni & cinnabrio antimonii unitum, est in morbis desperatissimis ultimum reme-*

remedium, etiam in febribus ardentibus malignis. Celeberrimus Ua-
tislaviensis Medicus, D. Helvvich (f) *in febribus petechialibus pur-
gantibus suis apud ditiores etiam pauca grana auri fulminantis, (NB.)
certis ex causis, (id est non sine prægñanti ratione) addidisse, legitur.*
Cum itaque veritas in duorum triumve testium ore consistat, ad
abundantiam illa probata non potest non haberi, aurum fulmi-
nans præstantissimum laxans esse, inque B. virgine neutiquam no-
cere potuisse, sicut etiam utriusque Facult. Medicæ, Lipsiensis &
Wittenb. Responfa ad Quæst. V. VII. & VIII. plenissime confir-
mant.

(a) In Pharmac. Acromatica L. II. S. IV. C. II. p. 397. Amoen. Med. L. II.
S. II. C. VII. p. 357.

(b) de Officio Medici C. XIV. p. 281.

(c) Usefulness of experimental Philosophy P. II. Ess. V. Chap. X. p. 212.

(d) M. N. C. Anni X. Obs. CL. p. 238.

(e) Clav. Schröd. L. III. C. IX. p. 204.

(f) Histor. Morb. Anni 1699. p. 10.

§. IV. Adversarius igitur ut forex animi sui malignitatem
prodit, qua propriam tantum laudem, ultra meritum, sitiens, me-
ritissimam aliis, tam mortuis, quam vivis, invidet; quod *πρὸς*
αἰσῶς Sect. I, p. 8. falso cavillatur, *malæ me arte, & pravæ intentio-
nis ergo, adornandam causam meam, quæ de auro fulminante in quæ-
stionem veniat, ne unum quidem alium testem etiam historię rerum adhibe-
re potuisse, quam talem, cujus debita laus ipsum offendit; cuique
mox ob id, quod testem eundem laudaverim, cum illo quoque con-
festim res sit habenda..* Siccine igitur vir bonus, quo veritatis pondus
& causæ justitia postulat, animum illuc inflectit? Sane consultius digi-
to compefceret labellum, quisquis veritatem humani, & maxime pro-
prii, respectus, pravæque æmulationis causâ ita violare non erube-
scit. Jamtum enim in illa Dissertatione mea de Orgasmo, illi testi
plures junxeram. Num autem adhuc unum alium testem huic rei,
auri scilicet fulminantis indubitatæ præstantiæ adhiberi non potui?
ubi plures jam ejus rei causa Viros summos, omnique exce-
ptione majores, superaddidi, & facile plures adhuc superadden-
di copia daretur: Odiosum igitur ipsi quidem est, in re quotidiana
practi-

præcticis, me autores allegare; cum semper novitatibus illius suspectis contrarii sint, ipseque veritatem non quærat, sed adversetur. Verum id minime plane odiosum haberi potest, pro adversarii pertinacia tanta frangenda, aut saltem cuivis evidentissime ob oculos ponenda.

§. V. Verum, *hoc aurum fulminans non decenter paratum, & elaboratum fuit*, velut p. 77. mihi objicitur, quod alias, *nisi in se sensibilissimis, non vomitum ciere soleat*, ideoque illud, *quod promiscue agrotis*, Dissertationi meæ de Orgasmo adjectis, *vomitum ciere consueverit, male edulcoratum, ac corrosivitate sua tantum efficax arguitur.* Qua vero ratione me *homicidii reum* famosis schediis suis postulat, propter B. virginis mortem, ex culpa pharmacopœi, qui de auri fulminantis legitima præparatione respondere tenetur? Omnino ego fateor, medicamentum hoc, nisi decenter elaboretur, non solum si non satis, neque tamen nimium, eduleetur; sed etiam si aurum proipso haud satis depuratum, aliquid cupri admistum habeat, maligna virtute vomitoria nocere posse. Verum enimvero (1) in formula mea, in omnem cautionem & diligentiam, auro fulminanti non salia, nec alia purgantia combinavi, stylo tamen aliorum doctorum usitato; sed diaphoretica & terrea eidem addidi, quæ omnem acorem, etiam haud satis edulcorati, absorbent ac corrigunt; talia quippe omnino sunt antimonium diaphoreticum & pulvis bezoardicus Sennerti, cum qualibus idem semper minus, quam salibus additis, laxare, quotidiana praxis testatur. Folia vera sennæ quoque juncta fuisse, falsissimum est mendacium. (2) In eadem officina non ego solū ferè centies, sed alii, quoque medici, aurum fulminans, de hac eadem elaboratione, præscripserunt, sicut Pharmacopœi attestantur, vitrumque, in quo asservatur, mihi ostensum docebat; à quibus tamen hujus, tanquam haud rite parati, violentia vomitoria nondum fuit observata. (3) Veritati autem refragatur, aurum fulminans in ægrotis illis meis promiscue vomitus movisse; longe diversa iidem monstrant, in quibus illi subsecuti fuerunt, si modo curatius examinentur. Etenim Aegrota III. aurum fulminans die secundo assumptis, ad minimum initio diei tertiæ; vomitus autem demum sub finem IV. diei supervenerunt. In Ægroto IV. nulli plane vomitus fuerunt observati, auri fulm. tamen gr. iij diagridii gr. j a-

cuatis. In Aegrota V. auri fulm. duo tantum grana unicum primo vomitum moverunt; sed quare secunda vice non ejusdem grana tria æquè vomitus provocarunt? In Præfecto militari C.IX. §. IV. ejusdem grana septem prima vice alvum ne quidem moverunt, iterum vero iisdem die sexto assumtis, vomitus demum die VII. sequenti, cum crisi, successerunt. Adeoque aurum fulminans, etiam rite & secundum artem paratum, neque *corrosivitate sua tantum efficax*, ordinate quidem vomitus non movet, attamen eosdem nonnunquam provocat, *pro ratione peccantis materiae*, cum levamine tamen, non nocumento.

§. VI. Neque verò aurum fulminans nostratis tantum officinæ, ut haud ritè paratum, & *corrosivitate sua tantum efficax*, vomitus nonnunquam excitat; cum similis operatio de illo aliarum officinarum subinde pariter observetur. Quomodo pastor Ecclesiæ paganæ, (a) 36 circiter annorum, haud *crassus*, aut *crassæ cerevisiæ* potator, per mediam concionem, à tumultuantibus in templo militibus perterrefactus, male se habere coeperat; sequenti die Lipsiam in nundinas profectus, ibidem à Linckio, peritissimo Chymico & Pharmacopœo, aurum fulminans, quot grana nesciebat, acceperat; à quo aliquot vomitus provocati, eundem primum admodum perturbassent, sed hinc optime levassent, subsecuto mox (NB.) sudore largissimo. Die V. cum vertigine & comate febricitans, per literas me confulebat; unde vero à solis tribus pulveribus cinnabarino-diaphoreticis, & elixirio succini volatili, misis brevi convalescente, oretenus me deinde certiore faciebat. Haud secus à viro fide dignissimo accepi, Virum illustrem hujus urbis nuper adhuc ipsi laudasse, quod aurum fulminans, ex eadem Linckii Officina Lipsiensi, vomitibus duobus tribusve provocatis, chronicum malum ejus optime levasset. Hæc juxta considero, Aegr. II. Diff. de Orgasmo, infanti, à solo clystere domestico; pastori Ecclesiæ Naumburg. (b) à sola Tinctura auri Langeloti; in villica, C.IV. §. X. proposita, à solo pulvere cinnabarino diaphoretico vomitus supervenisse. Ipsa προέκκρισις p. 21. à solo elixirio proprietatis excessivas purgationes (subinde, sed non) familiariter, successisse confitetur. Denique adversarius pilulas suas cunctipotentes, balsamicas scilicet ac confortantes, tam blandas prædicat, ut vel tenerri-

nerrimis puerperis sine quavis perturbatione alvum laxent; nihilominus haud negare potest, quod earundem evacuatio, pro ratione & copia materiæ peccantis, largior subinde obtingat; & fortassis etiam nonnunquam cum gravi perturbatione, neque confortatione; velut ejus rei aliquot exempla novi. An illæ tum etiam *corrosivitate sua efficaces* sunt? Num igitur imperitiam, num magis malignam æmulationem arguat, quod ille Syncretista, propter vomitus & dejectiones in B. virgine, auri fulminantis usum subsecutas, tam me quam pharmacopœum pessime calumniatur, B. L. dijudicandum relinquo.

(a) referente L. XI. Annal. Pract. f. 638. Anno 1707. mense Majo.

(b) vid. Tom. VII. Halens. Obs. III. p. 89.

§. VII. Verum sicut hujusmodi evacuationes rariores & insolitæ non eveniunt, quod medicamentis iis emetica vis per se insit, & quod illa sint male elaborata, & *corrosivitate sua tantum efficacia*; ita neque hæc quis de auro fulminante nostratis Officinæ vere proferre valet; quàm adeo mecum excuso. Rectissime potius Resp. Facult. Witteb. ad Quest. VII. monet, quod *aurum fulminans in B. virgine, pro ratione materiæ peccantis, operationes suas exercuerit*. Nam evacuationes illæ in similibus casibus non tam emeticæ vi medicamenti, quam acri materiæ peccanti, debentur, non solum mobili, sed jam in motu se habenti; quæ lenissimo stimulo commota, naturam jam paratam excitat, ut illam excernat, ut plurimum cum euphoria. Aurum vero fulminans in hoc cæteris pharmacis præstare videtur, innuentibus quoque citatis ægrotorum nostrorum historiis, ut naturam non solum ad excretionem stimulet, sed etiam corroboret torminaque sedet. Ex qua ratione vomitus illud suos tempestive cum criticis insultibus promovet, ut pro his vel mox, velut in B. virgine, die tertio; vel tardius, ut in aliis recensitis, iidem, pro diebus criticis variè incidentibus, sequantur licet illud priori die fuerit exhibitum. Accedit, quod id simul virtute diaphoretica polleat, adeoque prout ipsa natura inclinât, ejusdem motibus criticis se accommodet, & ad minimum, post paucos vomitus, aut dejectiones, sudorem criticum si-

mul deinde promoveat; unde enim hic per sequentem totam noctem in B. virgine obtigisset? non certe à sola essentia corticum aurantiorum. Quamobrem etià aurum fulminans à pluribus scriptoribus, Wedelio, Zwelfero, (a) Febure, Hoffmanno, magis diaphoreticum laudatur. Falsissimum enim est, & *probabile tantum rationis figmentum*, ut Hippocr. loquitur, theoreticæ speculationis, quod Sectio VII. p. 62. *ambas has criticas evacuationes laudabiliter concurrere, secundum*, & tamen contra (b) Hippocratem, pro more solito neget. Annon igitur ex his ipsis fatis superque apparet? verissime secundum eundem, (c) *illos medicos velut idiotas esse, qui ubi aliquid novi egri eadem die fecissent*, (v. g. aurum fulminans assumsissent, *atque hæc omnia melius fuisset, adhibuisse quam non, nihilominus causam* (mali & inopini cujusdam successus ex errore quodam) *illi contribuunt, veram causam ignorantes, & id, quod commodissimum est, damnant.* Quæ præjudicans ipse apposite quidem, sed culpa sua, non mea; nam confessione propria, sibi jam applicat; cum ego quoniam, saltem verbis Hippocratis, pro more meo, fallaciam causæ in medicina frequentissimam, adumbrandi animo dum hæc describerim, eundem collegam hujus farinæ ne, quidem suspicans.

(a) Qui Pharmacop. Reg. f. 320. hæc habet: *Vires auri fulminantis sunt diaphoreticæ ac cordiales. Sudorem item potenter commovet, si ejus gr. iij, jv vel vj, sive per se, sive aliis pulveribus permixta, propinentur.*

(b) ut videre licet L. I. Epid. S. II. 122. Vol. 1. p. 664. ibid. 170. p. 667. S. III. Aegr. XIV. p. 684. in Melidia. L. III. Epid. S. I. Aegr. III. 56. Vol. I. p. 725. In Dealcis horto decumbente, S. III. Aegr. XII. p. 738. Virgine in Larissa. Quæ quoque confirmat similis casus, in Bonet. An. Pr. fol. 678. de Jcto Genevensi, legendus.

(c) de Vet. Med. XXXVIII. Vol. I. p. 36.

§. VIII. Hoc igitur modo auri fulminantis virtute nobilissima, & in febribus acutis, maxime vero in B. virgine, convenientissima, sufficientissime à posteriori per ipsam experientiam probata; contrariæ illæ ratiunculæ à priori non responsionem, sed explosionem, merentur. Etenim verissime Wedelius: (a) *In primis non valent quicquam*, inquit: *rationes ex falsa hypothesis, vel præ-*
con-

conceptis opinionibus, (crudisque præjudiciis,) enata. His sanè, si vel centum fuerint, una opposita experientia satisfacit. Et Bohnius: (b) Quamvis medicina ab experimentis, ait: prima sua stamina ceperit, & conjecturis inventa, per illorum evidentiam polita & firmata fuerit, & adhuc integrum maneat eorum consortium; minus tamen ambigendum venit, aliquando sine ratione, aut repugnanter ratione, operari licere, secundum illa, quæ genuina & circumspicior experientia suggerit; id est, sine caussarum morbificarum, scientifica magis cognitione, ac sub verorum indicantium ignorantia, nos aliquando admonere posse medelam ac præsidia, quibus vel nostra, vel aliorum fide dignorum, experientia fidem fecerit. Quanto minus autem illæ plures inutilium quæstiuncularum argutiæ, quas Sectio VIII. p. 76. tanquam nodos Gordios sibi persvadet, quicquā auri fulminantis virtuti nobilissimæ detrahunt; alios omnes facillime resolvendæ, si modo chartarum angustia illud permitteret; sicut jam à Wedelio, Etmüllero, aliisque jam sunt resolutæ. Iisdem facillime ac plenissime satisfacit ex propria Disputatione de Rationali Empiria, (c) superfluam hanc rationum, & quomodo, curiositatem proterve irridendo & illudendo; cum huic unice satisfaciat illud vulgare: Es könne ein (Narr) mehr fragen/ als gehen (Kluger) antworten. Idem convenientius huc quadraret, quod Sectio V. p. 43. monet, multis utique modis cavendum esse, ne intempestivis (& inanibus plane) dubitatiunculis indulgendo, veritas temere negligatur.

(a) Amoenit. Med. p. 15.

(b) de Officio Medici C. IX. p. 202.

(c) §. XXVI. p. 28.

§. IX. Primum autem jam in diagrammate hoc προειρησιν fere pudet illius ratiunculæ, quam quidem generis communis ille syncrétista antehac per totam urbem diffamavit, quod nimirum aurum fulminans per se corrosivum sit, quoniam illud aqua forti adhibita elaboretur. Num ergo bezoardicum minerale, quod æque cum similibus spiritibus corrosivis elaboratur, etiam est incerta operationis, & corrosivitate sua efficax & infidum medicamentum? Quis fumosus cinis hæc subtilia non ridet? Num ergo ni-

rum, quod adversarius ipse, tanquam *creaturam suam*, laudat, & alterum cras mysterii naturalis habetur, etiam vi sua caustica ventriculum erodit? quod spiritus nitri seu aqua fortis ex ipso destilletur? Præsertim cum tantus hic chymiater nitro tantum crudo utatur, neque prius ejusdem acorem castiget, sicut in lapide prunellæ illud agitur ab aliis practicis magis usitato. Aurum vero fulminans, cum per ipsius elaborationem spiritus seu menstrui acor, addito sale alcalino, castretur, est ipsissimum regeneratum nitrum, sed aureum, *ad aureum Hippocratis aphorismum* hinc convenientius, communi longe præstantius, nobiliorisque virtutis. Haud melioris etiam est farinæ illa objectiuncula, *quod aurum fulminans tincta semper evacuet*. Quæ saltem evincit, adversarium pilulis tantum suis cunctipotentibus uti, & nobilissimi medicamenti aurei naturam prorsus ignorare, cum nunquam in ægrotis suis id usurpaverit; adeoque de illo, sicut cœcutiens talpa, ne quidem *turpis noctua*, de coloribus judicat. Num ergo pilulæ illæ arcanæ & incomparabiles non tanta gaudent virtute, ut laxando bilis æruginosæ copiam, in primis viis peccantem, ne quidem eliminent?

§. X. Haud minus ridiculum est, talem tantumque medicum, omniscientiæ melancholia laborantem, qui opifices rusticosque omnes *ad medicinam sine medico*, tanquam medicus sine medicina, remittit, saltem nobiles, & fortassis tantum principes & principissas, cura sua dignatur, vix de tribus triobolaribus medicamenti experientiam propriam jactare posse, ut de virtute auri cordiali prorsus dubitare cogatur. Ut argumenti ad hominem compendio utar, quantas virtutes auri tincturæ, sub *essentiæ dulcis nomine*, Orphanotrophium nostrum in peculiari scheda typis edita (A) prædicat, quæ simul omnes, morbo B. virginis appropriatas, complectuntur. Num ipse præjudicans sanctissimos illos viros, laudum harum certissimos autores, quibus fere unice praxin famamque suam debet, crassorum mendaciorum arguere non veretur? quasi per hanc tincturam saltem pecunias aucupari & nundinari, mundum vero fallere voluerint. Ego certe, qui nimirum illis debeo, tanta nollem audere, tantis viris potius fidem habens, ex ea quoque ratione, quod ex ipso auro fulminante, cum
sale

fale quodam anomalo paratam, tincturam auri quandam, non quidem plane philosophicam, habuerim; quæ ad guttas XXX. exhibita virtutes sulphuris mineralis philosophici, & cordiales, corroborandi, sæpius evidenter testata, effectibus suis non contemnendis, laudes medicamentorum aureorum non omnino vanas esse confirmavit; sicut etiam de ipso auro fulminante pluries licuit observare, cujus exemplum notabile Dissert. de Orgasmo Aegr. V. opificis illa filia paralytica sistere videtur.

(a) Confer Christian Friedrich Richters Med. Pract. beyrn Wäysen-Hause zu Halle Medicinischen Unterricht.

§. XI. Sic quoque consulis Naumburgensis filiola, (a) 7 annorum, I. die vomuerat, hinc ventris torminibus afflicta saltem à pharmacopola misturam diaphoreticam acceperat. Die II. cum urina tenui citrina, dysphoriaque majori, sitis & calor externus superveniebant, vesperi per exacerbationem carosa, vitreis oculis omnium ignara, se anxie jactabat, lectum perminxerat, supina cer-vice, ore hiant, brachiis extensis, cruribus incurvatis jacebat, jamque convulsionum prodromi observabantur. R. auri fulmin. gr. j, cinnabr. antimon. gr ij., sacch. Saturni gr iij. M.F. Pulv. R. Spir. cornu cervi dr. β. dosis gutt xv. Præterea emplastro vesica in nucha excitabatur. Per noctem ægrota sensus parum collegerat, hinc alvo, antea biduum obstructa, dejecerat, deliræ potus die III. mane, cum strepitu, descendebat, imo vix deglutire poterat. Quamobrem, quasi deploratæ, saluti desperans, saltem emplastrum capitale salibus volatilibus acuatum, & balsamum errhinum præscribebam. Circa vesperam à sudore largissimo, post aliquot sternutationes, serum è naribus profluxerat, & cum levamine omnium talium perniciosorum signorum, variolæ erumpere coeperant. Quæ minimam malignitatem ferebant, de discretarum genere, ut consiliis meis non amplius indigens, ex iisdem facillime convalesceret.

(a) referente L. IV. Annal. Pract. f. 667. mense Januario Anno 1689.

§. XII. Metallurgi & Chymistæ peritisimi conjux, (a) 36 circiter

citer annorum, ex horrore per tres hebdomadas febricitaverat, alius fortassis medici consilio usa. Primo ingressu meo, juxta cardialgiā hysterīcam, qua cor quasi manibus constringi videbatur, sudabat frigida, cum hypochondrii dextri dolore; decubitus in sinistrum latus, & quandoque etiam in dextrum, denegabatur; per paroxysmos à spasmis, cum artuum omnium doloribus, digiti rigebant, menses antea suppressi parum rursus fluere cœperant, cum dysphoria fere minori. Nihilominus os adhuc amaricabat, cum paroxysmis lipothymicis, & asphyxia, cor palpitabat, per sudores largos artuum impotentia minor observabatur; juxta sudores frigidos, ventrisque murmura, conatus inanes alvum deiciendi vexabant. Die VI. ab ingressu meo maritus auri fulminantis, à seipso elaborati, gr. j. pulveri meo cinnabarino-diaphoretico, meo consilio, mane addebat; exinde sudores illi diaphoretici cessarant, non quidem alvo dejecerat; attamen passio à præcordiis ad ventris inferiora depulsa dicebatur, qui admodum murmurabat. Quare post meridiem rursus auri fulmin. gr. j. exhibebatur, unde copiose, fere vigesies, alvo dejecerat, cum tanta tamen euphoria & confortatione, ut quantum antea minime valuerat, sola hinc ex lecto, ad alvum exonerandam, egredi sustinisset. Cum vero dejectiones spumosas continuari suspectum videretur, à solo nucistæ oleo expresso, ventri illito, mox illæ supprimebantur, unde vero tormina ventris rursus affligebant. Die X. rursus auri fulminantis gr. j. assumpto, dolores illi cessarant, placidusque somnus recreaverat, deinde bis foedissima dejecerat. Die XI. Tincturæ auri, ex hoc fulminante paratæ, usu paroxysmi adhuc soliti, cum cordis palpitatione, cessabant, & sic brevi convalescebat.

(a) referente L. VII. Annal. Pract. f. 503. Anno 1699. mense Novembri.

§. XIII. Juris Practicus, 40 circiter annorum, (a) pallidus, neque carnosus, neque tamen plane macilentus, tenerioris constitutionis, conjuge simili ex morbo defuncta, filia vero convalescente, ex horroribus cum lumborum cordisque doloribus, & calore tenui, febricitare coeperat; die III., cum multa tamen lassitu-

dine,

dine, hypocausto egressum, horror novus oppresserat, hinc sine quovis dolore, nisi artuum ostocopo, externo calore, adhuc tenui, magis internus ingravescebat. Die V. cum sudore acido, crescente delirio, petechiæ apparebant; dieque VI. rursus disparebant. Jungebatur alius medicus, salium volatilium usum timens, quamvis brachia mox extra lectum perfrigerarentur. Die VII. sine sudore, cum delirio, petechiæ in manibus brevi tantum apparuerant, crus dextrum è lecto sponte sæpius excidebat; denique à parvo sudore purpura coeperat apparere, rursus tamen sudore cessante disparens; semel alvo copiosa dejecerat. Die VIII. cum delirio & ignorantia, sitis præter rationem solvebatur, adhuc purpura disparente. Die IX. cum urina tenui, dentium stridoribus, sudatiuncula, nares tantum madebant, dentibus semper quasi manducabat, per somnum expavescebat, omnium ignarus, corpus impudice denudabat, crus sinistrum continuo jactabat, floccos legebat, absurda garriebat, purpura vero per minimam dorsi partem rursus apparebat. Die XI. per noctem anxius delirabat, crus extra lectum continuo jactabat, quod mox perfrigerabatur, sudor nullus. Juncto consilio præscribebatur: R. bezoard. miner. pulv. Marchion. aa. scr. j. bezoard. Senn. Anglicani, cinnabr. antimon. aa. scr. β. auri fulmin. gr. ij. M. F. pulv. divid. in iij. p. æqv. qui per sequentes dies bis iterabatur. In manu tumor apparuerat, & post horam rursus evanuerat, vesperi juxta dentium plures stridores, caloris & frigoris vicissitudines, omniumque ignorantiam, lectum perminxerat. Die XII. mane cum dysphoria minori purpura quoque in pectore coeperat erumpere, cum calore tantum naturali, sudor adhuc nullus fluebat. R. liqu. cornu cervi succin. scr. ij. eff. theriac. dr. β. opii g. x. M. D. S. ut g. xx. sæpius exhibeantur. Die XIV. à somno ignorantia minor erat, sitis sentiebatur, urina naturalis coloris copiose mingebatur, calor erat acutus, purpura in pectore magis erumpebat, cum leni sudore; qui vero vesperi largior fluebat; hinc signa & symptomata illa pessima sensim remittebant, morbusque declinare videbatur. Die XIX. sudor, per hos dies fere continuus, defecerat, sed cum majori dysphoria; verum die XX. ille denuo fere continuus fluebat, urina tenuis adhuc permanebat, nondum turbaba-

tur. Die XXIV. purpura desquamari coeperat, sed ægrotus extra lectum mox perfrigescebat, sudabat tamen. Die XXVII. rursus sudabat, cum dolore pone aurem, pus ex ipsa fluebat, imo parotis parva hinc excresebat, urina turbabatur; circa diem XXXIV. febris, haud tamen penitus perfecte, judicabatur.

(a) referente L. IX. Annal. Pract. f. 125. Anno 1702. mense Martio.

§. XIV. Verum enimvero προεκηρίσως S. VIII. p. 69. objicit, secundum Hippocratem, si tempestiva fuisset illa in B. virgine, ab auro fulminante promota evacuatio, eandem manifesto & a caloribus liberasset. Sed respondetur, (1) quod S. VI. p. 59. ipsa neget, illi calores fuisse post meum discessum, à quo alter eandem vidit. (2) Eadem à doloribus & anxietatibus verissime post paucas horas liberabatur, licet ille generis communis syncrētista, jam falsi convictus, semperque talis præsumendus, illud falso neget, Præsertim vero mane die Solis ipsa B. virgo in lecto, corpore erecto, ac voce haud debili, euphoriam ventriculi, & cardialgiæ levamen laudabat; ita quoque vesperi me interpellabat, ut Dominus Sponsus morbi violentiam, eo die jam superatam esse, sibi promitteret: de cuius vero constantia futura ego dubitans, ipse rogabam, ut medicus, & eruditus & sanæ rationis, neque contentiosus, propter novercæ pervicaciam, mihi jungeretur. (3) In mysterio naturæ immaterialis & intellectualis quidem tantum excretiones & purgationes solæ sufficiunt, alterationes contra omnes, velut inutiles, ridentur, ut hinc Hippocratis qualitates humorum in corpore humano falsæ, tantum insulse, explodantur; hic autem earundem plurimi factarum simul alterationes, deinde superaddendas, inculcat, quare l. c. (a) humorum acerrimorum partem, in ventriculo à catharsi relictam, permiscere, temperare, ac, posternere, simul postulat. Cui ergo, temperandi acoris, indicationi elixir castorei volatile alcalinum maxime convenisset, quod vero propter novercæ pertinaciam, ne quidem exhibere licebat.

(a) de Vet. Med. XXXIV. 12. Vol. I. p. 34.

§. XV. Hippocrates (4) de illo loquitur, quod à leni catharsi,

tharfi, anxie jactationis casu, ut plurimum fieri solet, non quod inter centenos plane diversos casus etiam à maxime tempestivo purgante, sicut in principio, semel & oppido raro, tanquam *monstrum in morbis*, ut loquuntur, obtingit. (a) *Certitudinem enim exactam raro videre in medicina contingit.* (b) *Et violentissimos morbos etiam potentissima medicamenta curare non posse, manifestum est.* Num igitur adversarius in tertia conjugis sua pilulis suis, *balsamicis & confortantibus tamen*, quas in puerperis tenerrimis semper proficuas prædicat, intempestive usus est, quod eandem à caloribus, IV. circiter puerperii die, mors ipsa liberavit? Præsertim vero (c) sinistros curationum medicarum eventus mirari non licet, si error ægroti (c) accedit, quem, in primis sic stantibus rebus, medicus ne quidem resciscere solet. Certe in B. virgine, ita novercæ obnoxia, ut medici consiliis ne quidem obsequi liceret, tale esse potuit hypocautum minus calidum; suspecta illa, pro hysterico colica dispositione hæreditaria, per dulcissimam emulsionem confortatio, à noverca ipsa laudata; sicut etiam Domini *Wittebergenses Responsio Quæst. III.* me ne quidem monente, sunt suspicati.

(a) Secundum Hippocratem de Vet. Med. XVI. 8. Vol. I. p. 22.

(b) Secundum eundem de arte XIII. 16. Vol. I. p. 8.

(c) Eadem enim ibidem X. 5. Vol. I. p. 6. monente, *Tanquam sane medicum quidem ea, quæ non conveniunt, imperare possint, ægri vero (aut adstantes) imperata transgredi non possint. Atqui longe magis rationi consentaneum est, ægros (& adstantes) non facere, quæ imperantur, quam medicos non convenientia jubere.*

§. XVI. Sed exitus acta probat; morbus non fuit ab iis dejectionibus optato solutus, paroxysmus gravis per vespeream die solis rediit, ac B. virgo mortua est. Verum IV. demum die, ab exhibito purgante, quod certe præsumtionem illam malam, alias minimi valoris, penitus removet. Deinde, inculcante Hippocrate, (a) *non asseverare oportet, quod unum solum medicamentum exhibitum proficit.* Omnes enim morbi (præsertim acuti) propter multas casuum circumstantias ac mutationes, mora quadam diuturniores, adbe-
rent. Ne quidem sperari potuit, neque à me cogitatum fuit, ut ab hoc solo, aureo quidem, medicamento morbus tantus mox to-

tus foret vincendus; verum neque propter hoc, imo ne quidem propter vomitus & dejectiones subsecutas, potius salutare, morbus antea sanabilis hinc insanabilis evasit. Erat hic in se violentus, facillimeque per se lethalis, simul ob plurium malignorum adspectuum coelestium concursum; ut ex hoc, sine primi æque, ac secundi, medici culpa, B. virgo mori potuerit. Et paroxysmi convulsivi, ac quasi epileptico-hysterici, præsertim cum criticis perturbationibus, reverti consueverunt. (b) *Medico autem non mortalitatis eventus imputari non debet, sed quod per imperitiam commisit, ei debet imputari*; adeoque hac non probata, neque probanda, medicum propter solum infaustum eventum, homicidii accusare ac calumniari, dementiam, & intellectum sine cogitatione, redarguit & convincit. Ipse vero medicus, hoc argumento utens, Hippocratis textum tantum *ἰατρὸν ἀδελφὸν* adspexit, neque cum iudicio elegit & relegit, alias enim invenisset & intellexisset, Cum parentem (c) monere illius, talia dicentis, ut delirantis curam habendam esse, scilicet hellebori essentia aut extracto, non auro fulminante.

(a) Præcept. III. 7. Vol. I. p. 61.

(b) Ulpianus l. 6. §. 7. ff. de officio præsidis.

(c) de Arte XIII. 5. Vol. I. p. 7.

§. XVII. Quodsi autem errores medici, ut causæ mortis, in B. virgine urgentur, sub iudice adhuc lis esse debuisset, & altioris indaginem ac peritam decisionem res postulasset, num eodem ego primus medicus, an secundus potius, commiserit. Super qua controversia utriusque medici sententia æque nullius esse potest ponderis, quippe in propria causa; neque hic præsumptionibus, sed probationibus solidis, est certandum. Ego interim breviter hic errores non meos, meæ tamen curationis tempore, perstringam. (1) A medicamento illo aureo, die Saturni exhibitto, cessantibus dejectionibus per totam insequentem noctem, non certe à sola essentia corticum aurantium, & quidem contra præscriptionem meam ad g. xxx. tantum usurpata, sponte sudor, sed parvus, fuerat observatus, cum euphoria tamen. Licet autem hic salutarem crisin, propter (a) diei III. criticæ laudem, quodammodo

modo ferret; attamen propter parvitatem in singulis evacuationibus criticis, non vomitibus solum, sed etiam sudoribus, (b) suspectam, majorem omnino is salutem promississet, si *natura tardior* elixir castor. volatili, diaphoretico egregio, fuisset adjuta, confirmate *Facult. Witteberg. Responso ad Quæst. X.* quod vero, per nasutæ novercæ pervicaciam, exhibere non licebat. Quomodo autem defectus hic sudoris, laudabilis alias critici, omnino fuisset supplendus, ut ille largior crisin laudabilem magis incepisset, si non omnino perfecisset? Præsertim vero hæc urina significabat, antea tenuis, (c) mane crassa & turbata, quæ non sine critica ratione conditionem incipientem, non quidem completam, denotabat. Gravior adhuc error erat, quod laudabilem hunc sudorem hoc die critico, propter novercæ, sudores tantum ut debilitantes diffamantem, B. virgini, nutibus illius obnoxia, obtecto corpore in lecto non plenius observare liceret, sed mox indusium fuerit mutatum. Hac ratione febrium acutarum mos malignus, diebus criticis finitis, omne pernicioso exacerbationes in dies pares & vacuos transfert; qualis igitur paroxysmum illum lipothymico-hystericum, per vespèram diei solis, facillime potuit revocare.

(a) secundum Hipp. S. IV. aph. XXXVI. p. 85. L. II. de diætâ XLV. 22. Vol. I. p. 238.

(b) L. II. Epid. S. III. 53. Vol. I. p. 699. *Sudores fiebant parvi, non autem judicabant.* Coac. I. 65. p. 525. *Οἱ ἐφιδρῶντες ἐν πυρετῶν, κακὸν ἔχουσιν.* *Sudatiuncule parvæ in febre malignæ.*

(c) vide Hipp. S. IV. aph. LXXIV. Vol. I. p. 89.

§. XVIII. Fortassis etiam (4) B. virgo propter testamentum tale, quod tum temporis ægerrime tulerat, fuit ad iram provocata; quæ sane in ægrotis longe magis, quam sanis, convulsionibus revocandis, nocere solet. Fortassis quoque lipothymia illæ hysterico-colicæ ab emulsione dulcissima novercæ, loco confortationis, recruduerunt. (5) Meliora medicamenta contra tales torpores, seu spasmodicos, seu hemiplecticos, inveniri non possunt, quam qualia jam præscripseram, quæ nimirum non solum ab hac passione præservassent, sed earundem etiam paroxysmum jam opprimentem levassent. Quæ tamen hora decima.

vespertina nondum, secundum consilium meum, in usum vocata, ingressu meo intelligebam; cum tamen paroxysmus ille hora VII. jam invasisse dicatur. Quando igitur *non mortalitatis eventus, sed imperitia tantum medico debet imputari*; ab hac vero doctissima duarum Facultatum Medicarum Responsa me omnino liberant; si quæ culpa mortis, in B. virgine subsecutæ, inquirenda & inveni- enda est, certe potius novercæ nasuta, & inimica mihi, pervicacia; aut medici secundi singularis medendi novitas deprehendetur, qua lipothymias & perfrigerationes nitro, magis refrigerante, cu- rare tentavit, Doctoribus omnibus in hoc unanimi plane consen- su reclamantibus, & prægnantibus rationibus concludentibus.

CAP. VI.

Arbitrium boni viri medicum, secundum ana- logismum jurisprudentiæ consti- tuit.

§. I.

Pæjudicans adversarius pro eruditate sua mihi *πρό-
εξευκεν ἡσασάν*. Hippocratico, S.I. p. 6.8. II. exprobrat,
quod in *medicina rationibus, non autoritatibus pugne-
tur*; ego vero solis Hippocratis autoritatibus nitar.
*Quem omnium atque singularum rerum non magis jam
arbitrum, quam judicem omnino, constituere, & quicquid ille non dixe-
rit, pro non dicendo habere laborem*; licet ipse negare non possit,
quod, *quæ Hippocrates dixit, omnino vera sint*. Ut hoc igitur funda-
mentum meum diruat, illud p. 4. analogismo medicinæ cum juris-
prudencia oppugnat. Sed qui verba Hippocratis confundere ac
corrumpere consuevit, multo minus mea invertere verebitur.
Num ergo aurum fulminans optimum in febribus acutis laxans
esse, Coi parentis scriptis probavi, & quod *ille tale non dixerit*, reje-
ci? Eundem omniſcium & infallibilem medicinæ dictatorem esse,
nulli-

nullibi contendo; quales tamen hodierni Eliæ artistæ mundo se obtrudere conantur; neque nego, post ipsum, seculis etiam nostris, medicinam in quibusdam perfectionem majorem acquisivisse; sed nec nec admitto, artem totam à novaturientibus σοφισμῶν esse pervertendam; novitatem vero, modo satis, nec somniis tantum, probandam, minime unquam odi, ut vel hoc scriptum testatur. Sufficit autem jam, quod, *quæ Hippocrates dixit, vera sint*, ut adeo his contraria necessario falsa sint. Præterea certum est, quod is primus, genuinam medicinæ addiscendæ methodum mundo (a) reliquerit, quæ posteros, ad nova porro invenienda, & artis semiperfecta absolvenda, ejusdem modo gnaros, ut præteritis seculis manuduxit, ita futuris manuducet; ut ipse adversarius p. 10. candide agnoscit.

(a) de Vet. Med. III. 8. Vol. I. p. 15. *Medicina jam ab antiquo existit, & principium & via inventa, per quam inventa, & multa probe habentia, comperta sunt, per multum adeo tempus & reliqua deinceps invenientur, si quis idoneus sit, & jam inventorum gnarus, ex his ad inquirendum procedat. Quicumque vera (Eliæ artista) his rejectis & omnibus reprobatis, alia via, aliæque forma inquirere conatur, & quid invenisse gloriatur, falsus est, & fallitur; impossibile enim id est.*

§. II. Utrationibus oppositis vim plane nullam concludendi esse, primo mox intuitu appareat, celeberrimi nostri Thomasi consilio, (a) e. g. duas priores saltem προενηνεγσεις sectiones, in ponte Logico, (b) formalium syllogismorum examini subicere, consultum duxi. Primus igitur syllogismus sic habet: *Quicumque omnia vera dixit, ille neque ut testis, neque ut arbiter, aut judex admitti potest. Hippocrates omnia vera dixit. E: Hippocrates neque ut testis, neque ut arbiter, aut judex admitti potest.* Major haud alio modo probari potest, quam quod, qui omnia vera dicit, falsi magis, quam veri, studio non possit non esse suspectus, tam ut testis, quam ut arbiter, seu judex. Minor approbatur p. 8. 9. 10. 22. Equidem propositio hæc limitatur p. 22. quod ipsa tantum de Hippocraticis morborum historiis & pragmaticis experientiæ testimoniis, non vero de *ratiocinationibus & opinionibus* theoreticis, admittatur. Verum his nostra jam non in theoreticis opinionibus versatur, v. g. an

motus vitales sint incorporei ; sed practica est nostra controversia, ex morborum historiis decidenda, num & quando in febribus purgantia sint tempeſtiva ? Quanquam minus ad has, quam ad illas, pertinere credam, num *natura, sine cogitatione tamen, sit intellectualis & moralis* ; ut ille quidem in Disputatione de *Medicina sine Medico*, (potius Medico sine Medicina) ex Hippocrate, contra clarissimam ejus mentem, probare magno conatu laboravit. Quod si ergo ipsum pudet, p. II. negare, *operosum atque vere literarium esse, Hippocratis ultiores de febrium negotio solertes observationes passim conquirere, & hoc modo eundem, instar testimonii, adhibere*, nulla certe ratio apparet, propter quam is ipse p. 47. & passim indigne-
tur, quod loca Hippocratis hinc inde *coacervaverim*, ut scilicet ex parallelis genuinus sensus inveniatur, & circulus philosophicus concilietur ; nisi quod his veritatis firmissimis testimoniis se convictum agnoscat, quæ candide confiteri, cum durum sit, causam saltem aliam colorare & prætexere debuit. Quomodo enim is Hippocraticæ autoritatis *præsidium, omni exceptione majus*, pag. 4. gravari potest, qui nullam opponere novit.

(a) C. IX. §. V. p. 160.

(b) Huc enim potius illud Gallicum quadrat, quod adversarius in propemptico inaugurali de Logica Medica proponit : *Il faut passer par là.*

§. III. Secundus Syllogismus hic est: *Quorumcunque à majoribus traditorum ratio reddi non potest, illa non, quasi obsoleta, subvertantur.* Hippocratis pragmaticorum dogmatum ratio sæpe reddi non potest. E: Hipp. dogmata pragmatica, quasi obsoleta, subvertantur, & per consequens nihil probant. Verum pro mea conjugatione logica, sicut in citato Propemptico cavillatur, potius contra ipsum sic concluderem : E. Hippocratis dogmata pragmatica, non tanquam obsoleta subvertantur, cum experientiam veram adhuc hodie probent. Major p. 4. analogismo medicinæ cum jurisprudentia probatur. (a) Minor conceditur ; nam neque hodie omnium dogmatum pragmaticorum ratio reddi potest : (b) Nisi B. L. patientia me verear abuti, reliquarum rationum omnium connexiones per totam *πρόεξις* simili cruditate laborare, in facili demonstrare possem ; sic enim formalis logica non potest non sui contemptum vindica-

dicare, utpote merito cujusvis eruditionis primum fundamentum; propterquam vero à me laudatam in dicto propemptico, crudo me intellectu, irridet. Quantumvis enim pædantismū oleat, in ipsa syllogismorum forma, non solūm tyronibus minus in hac re exercitatis, sed etiā orbi literato, sua proponere; attamen viro erudito adhuc turpius est, materiam talium rationum opponere, quales in ipsam formam peccāt, *vere cum ratione insanientibus* consuetæ. Passim enim formalia materialium quasi animæ sunt; sicut in arithmetica & jurisprudentia elucescit. Quamobrem quoque in medicina Galenus Asclepiadem sui temporis haud immerito, tanquam logices ignarum, ut rudem medicum castigat.

(a) Equidem L. 20. ff. de Leg. ita legitur: *Non omnium, quæ à majoribus tradita sunt, ratio reddi potest*: sed non additur, quod illa tum, ut obsoleta, nihil amplius probent; contrarium potius docet L. sequens 21. *Et ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquire non oportet, alioqui multa ex his, quæ (NB.) certa sunt, subvertuntur.*

(b) ut ipse in Disp. de Rationali Empiria §. L. p. 36. rectissime agnoscit, neque tamen iccirco hujusmodi reprobanda esse, confitetur.

§. IV. Analogismum igitur illum medicinæ cum jurisprudentia in methodo ratiocinandi, utpote utrisque (a) communi, non impugno, sed pro arbitrio boni viri constituendo, & nostra medica lite pariter decidenda, lubentissime accipio; quem igitur jam plenius pro ipso persequi lubet. Jcti rectissime, quæ *gratis affirmantur, gratis negant*; sunt enim philosophi sceptici, sed non Pyrrhonic; hinc quippiam *affirmantibus probandi onus imponunt*. Nihilominus ut probationes suas in litigiis forensibus adornent, justitiam causæ suæ non ex primo fonte (b) *status naturalis* deducunt, neque *cerebrinam æquitatem* suam, principiis juris naturalis coloratam, legibus, principum constitutionibus, aut fori observantiæ opponunt. Verum, ut quæstiones facti duobus tribusve testibus, modo non suspectis, potius omni exceptione majoribus probant: ita quæstiones juris lege quadam, Doctore probato, opinionem in foro receptam tradente, confirmant. Nam, Seneca testante, *veritatis signum est, aliquid omnibus* (imo pluribus rerum peritis) *videri*, & contra falsitatis, quod singulare est, cujus rationes

ab omnibus peritis improbantur. Quæ certe in medicina optimo cum fructu observarentur, ut scilicet æque non gratis, id est non nisi probata, multo minus quævis opinionum insomnia, assererentur, quivis etiam, donec oneri probandorum suorum satisfecisset, de suis ipsius adhuc dubitaret. Licet autem pulchrum sit, in cathedra veritatem à primis usque fundamentis, sed solidis, sobrio cautoque scepticismo deducere; attamen in praxi, juxta ægroti lectum, cum fatalia non decendiis, sed horis singulis definiuntur, absolum est, ut de tempestivo in febribus purgante à priori inde usque repetamus, num *atomi sint in infinitum divisibiles, aut non?* num, sicut omnes *motus, ita etiã corporis humani vitales, sint incorporea* dæmonia, *natura, anima rationalis & immaterialis?* num *caussæ sint physicæ potius morales?* ut totius medicinæ perversitas prius sit corrigenda. Certe decies ægrotus expirabit, antequam unus apex talium quæstionularum contra contumaces, & ipsa principia negantes, evincatur, ut ipsi se convictos confiteantur: hac enim ratione *veritas non è puteo suo protrahitur, sed in abyssum penitus demergitur immensam.*

(a) Sicut etiam contra D. Antonius Massa Galleus *Libris 3. de Jurisperitorum Exercitatione* analogismum jurisprudentiæ cum medicina præclare demonstrat, multos simul flores dulcissimos, pro melle medico, spargens.

(b) Num scilicet ille ex *tranquilla societatis appetitu naturali* secundum Grotium & Puffendorffium, num vero ex *hostili defensione contra injurias* secundum Hobbesium, sit constituendus? num denique hi *Triumviri* sint amice conciliandi secundum analogismum medicinæ, quæ sanitatem conservat, simulque morbos depellit?

§. V. Omnes etenim Jctorum paginæ *litium abbreviandarum* studium cantant, utpote cujus *reipublicæ intersit*; siquidem multa hominum ingenia tam rigida sunt pervicaciæ, ut veritatem non ament, sed averfentur, contradicendique studio & contentionibus delectentur, quæ fræno rationum regi respuunt; itaque ferratis autoritatum capistris debent coërceri, præsertim quibus cerebrina æquitas aut veritas quemvis sanæ rationis usum præcludit. Quippe Salomon inculcat, quod longe major spes supersit fatuum (a) emendandi, quam cholero docilis philosophiæ & philætiæ furo-

furore laborantem; de illo autem idem monet, quod si fatuus in mortario (rationum pistillo) in farinam usque contundatur, non tamen fatuitas ejus sit corrigibilis; longe minus igitur illius docisofphi. Quis autem negaret, in medicina quoque haud alia ingenia præ se ferre σοφιστήες, quos Hippocrates castigat, *quod sint*, (in praxi medica) *qui peccent, cum tantum peregrina* (nova & singularia) *quæ nondum tamen intelligant, laudent, quam communia probe nota*. Cujus farinæ medicæ, sibi solis sapientes cum videantur, omnes alios secus sentientes turpiter reprehendere, ac secundum cerebrinas suas, æque à priori demonstrationes, quam experientias, (seu potius talium phantasmata) censere & corrigere, audacissimi audent

(a) Sic etiam Paulus ad Romanos eos castigat, qui supremi Numinis infinitam sapientiam in rebus naturalibus conspiciendam, finito creaturæ naturalis, seu materialis seu immaterialis, intellectui ascribunt, & hoc ipso gentilismi πρῶτον ψεύδος recoquunt, addens: *Φάσκειντες εἶναι σοφοὶ ἐμωγράθησαν*. Dum sibi sapientes esse videntur, fatui facti sunt.

§. VI. Rectissime horum veritas ab antagonista ipso agnoscitur, cujus in Disputatione (a) hæc habentur verba: *Medicina, in quæ non solum dissidia & portentosos dissentendi modos, & opinionum indies augescentium tricas, est devoluta! Quot & quam varias ipsas hinc inde fabellas* (mimorum scilicet naturalium) *& metamorphoses* (motus accidentalis in substantiale dæmonium) *subit atque patitur!* Et verissime, mali hujus culpam non in medicinam, sed medicos recentiores seculi nostri, esse transferendam subjungitur. Item: (b) *Inundavit medicinam libertas philosophandi. Est verò distinguendum inter philosophiam & philasophiam*, (c) *& cavendum, ne libertas philosophandi specioso vocabulo rem vitiosam flagitet, libertatem* (potius licentiam) *infrunitam dissentendi, quicquid per somnia* (etiam diurna, seu deliria) *visum fuerit*. Verum enim vero, Paulo monente, ἐν ᾧ γὰρ ἐλεγον κριεῖς, σεαυτὸν κατὰ κριεῖς, τὰ γὰρ αὐτὰ πρῶσσεις, ὁ κριεὺς (ὃ ποιεῖ κριεῖς) *In quo alium judicas, te ipsum condemnas, eadem si facis judicans* (magisque adhuc crude præjudicans) *Hæc Logica docens, magisque adhuc utens, inculcat*. Quomodo igitur novitates, & infrunitam dissentendi licentiam, in medicina castigaturus minime ipse paradoxæ modo ni qvati, neque vero

simul veritati studeat, secundum gloriosum illud symbolum: *Hac ego solus, hac ante me nemo.* Ne theoretices speculationes hic tangam, quæ potest in praxi magis infrunita novitatis licentia dici, quam declamantibus ad unum omnibus scriptoribus pragmaticis, asseverare: *Febres acutas petechiales, propter vespertinas exacerbationes, esse quotidianas continuas.* In his & peste calorem tenuem, teporem potius, & perfrigerationes adhuc magis, benignitatem, neutiquam malignitatem portendere; hinc sudatiunculas, non vero largos sudores criticos esse. *Lipothymias & perfrigerationes optime nitro curari, salia volatilia vero in iis nocere, quoniã propter nimiam tonicam efficaciam sanguinem coagulent;* Nihilominus pro his ad practicos provocatur, sed non nominatos, neq; nominandos, aut certe tales nullo modo dicendos.

(a) de Medicinæ Practicæ Erroribus in Proœmio p. 4.

(b) Disput. de Novit. Medicis Proœmio. p. 5.

(c) qualis non potest non esse osorum ignorantium logices, physices & chymicæ, utpote philosophiæ partium, qui specialibus parænesibus juventutem medicam, non ad illarum studia colenda, invitant; sed potius ab iis deterrent, superfluo penitus labore.

§. VII. Quamobrem infrunitæ huic licentiæ, novitatis absurdis medicinam corrumpendi, haud firmitus injici potest capistrum novaturientibus σοφιστήρις, quam ut iidem ad Hippocratis, sicut in jurisprudentia ad juris civilis, arbitrium pertrahantur. Præsertim cum in summe incerta medicinæ certitudine hoc certissimum sit, ut cum Galeno loquar, (a) nihil quicquam ab Hippocrate frustra scriptum inveniri. Item: (b) In artis operibus versatum non posse non affirmare, eundem vera dicere. Siquidem Hippocrates, (c) cum quid nunquam vidit, commentitias causas minime scribendas esse credidit, ubique fide dignum existimans, quod evidenter (per experientiam) apparet, quam quod (NB) à ratione ducitur. Sic & quæcunque ad rationem excogitavit, priusquam nos doceat, experimento comprobatur. Non sicut nonnulli ex recentioribus nostris medicis, qui nobis ea (quasi dictatores) imperant, quæ ipsi nunquam antea sunt experti: Quamobrem, cum Clarissimo Dureto, (d) etiam atque etiam dico: *Fremant licet omnes, dicam tamen, quod sentio, majorem praxeos scientiæque ubertatem com-*
para-

parari à studio Hippocratis uno die, quam ab istis pragmaticis uno seculo.

(a) L. de Dieb. Decret. III. 12.

(b) L. de Atra Bile.

(c) L. de Artic. L. 3.

(d) f. 267.

§. VIII. Sed fortassis præjudicans noster legalis campanæ sonitum quidem audivit, sensum autem ejusdem haud assequi potuit; ergo ipsum, etiam acerbe contra me pugnans, veritatis studio adjuvabo. Nimirum juris antecessores admittunt, in Corpore Juris, quod vocant, plures leges superesse pro hodierno Imperii statu, longe à veteri diverso, nullius usus; contra plures haberi principum constitutiones, provinciarum, imo urbium statuta, quæ singula legibus Romanorum Imperatorum veteribus derogant; dari quoque leges obstantes. Verum enim vero juris antistites non ideo in genere omnes veteres leges, ut obsoletas, rejiciunt, sed eas, quantum licet, ad minimum virtute rationum moribus nostris accommodant, v. g. veteres leges de Servis in Romano Imperio jam cessantibus, hominibus propriis applicant. Insuper leges, primo intuitu obstantes, per alias, quasi parallelas, conciliant. Deinde, quod potissimum est, hæc vel illa lex specialis, ut obsoleta, non generali quadam fermocinatione rejicitur, sed talis contra præsumptionem contrariam specialissimis & solidis rationibus debet probari. In his sane juris antecessores laudes suas quærunt & inveniunt. Præterea illi vetera quidem Doctorum brocardica, (a) sed hunc non obsoleta, retinent, potiusque accumulunt, quam singularis novitatis studio eadem corrumpunt. Quorum multorum insignem usum ad medicinam transferri posse, credo; cum non tam hæc, quam medici, similibus destuantur. Sicut & illa juris regula ad oculum demonstrat: *Non ex regula jus sumitur, sed ex jure, quod est, regula fit.* Haud secus enim in medicina rationes & experientiæ ex praxi & experientia (b) sumantur, non contra, pro more novaturientium σοφισμῶν.

(a) Eadem ratio idem jus facit. Cessante ratione cessat jus. Vincula geminata fortius lingant.

(b) Wedel. Amoen. p. 42. Lapis Lydius est, experientia rationi innixa, ex praxi medicus estimare debet, ex Praxi informari.

§. IX. Itaque, ductu analogismi medicinæ cum jurisprudentia, ob pauca admodum nostris climatibus, temporibus, diatysve non exacte quadrantia, non omnia Hippocratis in genere, ut obsoleta, rejiciantur, sed in specie de iis, quod talia sint, probandum est. Nam plurima & paucissima non nostris æque temporibus & climatibus applicari possunt, inculcante ipso Hippocrate: (a) *Cæterum, ut addit: nullius morbi nomen desiderare (& ignorare) oportet, quod (ab ipso) non est adscriptum; (non vero nova febrium cholioideon, καυμιάων &c. fingi, causorum autem non intelligi debent.) Omnes enim in prædictis morbis qui judicantur, ex iisdem cognoscet. Sic Baglivus in Italia, nostris adhuc temporibus, testatur, (b) Hippocratis (olim in Græcia quidem) aphorismos, præsagia, Coacas &c. cum posteriorum observationibus si quis comparaverit, quæ fuit superioribus sæculis, eandem adhuc nunc esse morborum naturam, ab eodem, ut olim, ordine periodos illorum procedere. Quapropter omnes gravissimi scriptores medici adhuc hodie per universam Europam, v. g. Riverius, Ballonius, Sennertus, Bened. Sylvaticus, Lælius à Fonte, Wedelius, Bohnius, Etmüllerus &c. ex Hippocrate subinde adhuc addiscere non erubescunt, solus præjudicans longe meliora, per demonstrationes suas à priori, à posteriori tamen falsas, audet somniare.*

(a) Prænot. XXVII. p. 470: *Impetus quidem morborum semper populariter grassantium cito animadvertere oportet, temporisque constitutionem non ignorare. Probe tamen id expedit nosse de conjecturis certis, & aliis signis, quod in omni anno & omni tempore mala malum, bona bonum, significant. Nam & in Libya, Delo ac Scythia (& magis adhuc Germania) præscripta signa vera comperiuntur. Proinde sciendum est, minime diffculter in iisdem regionibus posse aliquem pleraque ex ipsis assequi, si memoria tenens ipsa judicare, ac recte sciat expendere.*

(b) L. I. Prax. C. II. §. VIII. p. 8.

§. X. Verum Hippocratis προζωνειέν practicum haud res est ita facilis, nec huic satisfacit, ejusdem volumen pervolvisse, ipsius textus quosdam indicibus incompletis evolvere potuisse. Lectio lecta placet, decies repetita placebit. Qui eundem vult assequi, philosophus sit oportet, ut ex Galeno ipse confitetur, non phyzices ignarus osor, qualem se in speciali parænesi de hac re non negat. Crudiorem enim adhuc ejusdem lectorem se non potest

est non ostendere, quisquis non textuum corruptas versiones secundum Græcismos æquē ac experientiam corrigere, fragmenta supplere, textus subreptitios eliminare, genuinum sensum ex textibus parallelis, hinc *coacervandis*, quasi ex ipso Hippocratis ore explicare, obstantes conciliare, & in his maxime ῥὸ ξοναυλιόθῆναι, seu circulum philosophicum, observare novit. Quos cortices duros (a) adversarium nondum nosse frangere, hæc defensio pluribus ipsi aperiet, ut hinc ipsi neque *de vera verborum significatione*, multo minus *de auctoris genuina mente constare*, appareat, ut ipse potius argui, quam alios arguere potest. Cum igitur dulces Coæ scholæ nuces vix gustare, quid dicam esse, valuerit, non miror, quod *tanquam vulpes*, ut Helmontius loquitur, *vituperet uvas illas in arbore sequestratas*.

(a) Baglivus de fibra motrice, *Omnes laudant Archimedem*, inquit: *sed pauci legunt, lectumque intelligunt. Opus Hippocratis divinum & admirabile ab omnibus medicis dicitur, sed vix è sexcentis unum reperies, qui satis pro merito illud amplectatur. At videri volunt omnes, ne in suspicionem ignorantiae cadant, se habere aphorismos ad manum, dum eorum unum aut alterum precipitata mente (πρὸς κερπίοντες) ut fere sit, nulloque iudicio in medium proferunt. At hi cum ad praxin monita legesque Hippocratis volunt conferre, in contrarium tendunt. Etenim cocta incocta, matura crudaque sine discrimine habent, confundunt, miscent remiscuntque.*

§. XI. Præterea considerandum est, Hippocratis a me citata non ad auctoritates, quippe de quaestionibus artis & opinionū docentes, sed ad testimonia, omni exceptione majora, pertinere, utpote de factis experientiæ practicae attestantia. Quæ ex illa in super ratione, non ut obsoleta contemni & rejici possunt, quod ea semper consensu ac testimoniis haud diversis recentiorum scriptorum, nostris seculis & regionibus experientiam eandem attestantium, confirmare soleã, hinc omnino *allegationes coacervantur*. Quibus autem eo magis adversarium ostendo, qui Hippocratem, ut obsoletum, recentiores, tanquam novos, spernit, & in schedio suo mordaci id unice agit, ut asserta & præjudicia sua non solum ut testis, sed ut iudex etiam, in propria causa multisque modis suspectus, firmet & obtrudat. Ridiculum profecto est, Hippocratis testimonia,

monia, aliorum probatissimorum scriptorum junctis corroborata, improbare, ridere, sugillare; & tamen ex uno Bechero, scriptore vix classico, asserta dubia, & longe altioris adhuc indaginis, fundamenti loco supponere, cui castellum illud Elias artifista superstruat, ex quo totum orbem medicum dictaturæ suæ crudissimæ possit subjugare.

§. XII. Quod vero potissimum est, allegata nostra classico-
rum doctorum neutiquam, autoritatum nudarum loco, haberi
possunt; illis ipsis enim summorum illorum virorum ipsissimæ ra-
tiones simul proponuntur, eo majoris ponderis, quod illud exa-
mine suo hi corroborarunt. Utque majori candore hoc agam, i-
pissima eorundem verba, consilio Boylei, subjungo; quomodo
ad minimum adversarii præsumptiones majores, ut cuiquam videri
possunt, à contrariis majoribus majorum adhuc virorum, facile
vincuntur. Hac etiam ratione simul præcavetur, ne more præ-
judicantis, ex uno falso præjudicio supposito, errores in immensum
cumulentur, totusque rationum calculus iisdem laboret. Haud
secus in arithmetica, ut longiori & tædiofo labori thaleros in gros-
sos, & hos in nummos, ac contra, resolvendi supersedere liceat,
per compendium calculus jam factus, & autoritate quasi probato-
rum calculatorum confirmatus, ex tabulis specialibus huic nego-
tio accommodatis peti ac poni consuevit. Hinc alias ego auto-
ritates, prout rationibus, aut non, stipantur, numeris nullis in a-
rithmetica comparare soleo, qui soli, magna quoque propria serie,
nullos alios numeros sequentes, ne hilum quidem valent, contra
vero, aliis numeris antecedentibus, gravissimum omnino pondus
addunt,

§. XIII. Deniq; analogismus medicinæ cum jurisprudentia
illud potissimum inculcat, ut, sicut *Œtus sine lege*, ita medicus sine
experientia, *loqui erubescat*, non æque sine ratione. (a) Per experi-
entiam vero cum Hippocrate (b) *ἐμπειρίαν μὲν λόγῳ*, *exercitationem*
cum ratione volo, non *πείραν*, & *empiriā*, Hippocrate monente, *fal-*
laciā. Laudatur illa sub *empiriæ naturalis* nomine ab adversario,
quasi per contradictionem in adjecto, in speciali Disputatione hu-
jus tituli. Verum cum nudis verbis non inhærere, sed facta sen-
susque ipsos inquirere ac præferre soleam, laudo ejusdem cona-
tum;

tum; utpote cujus ductu ad unicum illud veritatis criterium & *Pancraticum*, non tam *argumentum* quam primum principium, penetratur. Quod vero minime se habet, ut adversarius pro cruditate sua illud plane corruptum proponit; *quasi quicquid non possum sensu aut ratione percipere, illud non sit*; sed genuinum sonat: Quæcunque propositio non est in sensu, non solum immediate, sed etiam medianter ratione, eandem ut veram neque intellectus percipit, neque voluntas affirmat. Nam, docente Hippocrate, (b) *ratio cinatio est memoria, quæ componit ea, quæ per sensum sunt percepta*; hujusmodi ab illo collaudatur; contra improbat, *quæ non ex evidenti aggressione sensu alium phænomenon initium faciens, tantum est probabile rationis figmentum*: quod crudus præjudicans in Propemptico *de Logica Medica* plane non à vera ratione distinguere novit; Qualis est ipsissima vera experientia, quæ non sensuum saltem, sed cautæ ac prudentis rationis simul, foetus maturus haberi debet.

(a) Confer Wedel. Amœn. Med. L. I. S. I. C. III. p. 15.

(b) Præcept. I. 7. Vol. I. p. 60. Wedel. C. II. p. 7. C. III. p. 14.

§. XIV. Cujus autem *Pancratici* primi principii viam, semel quidem probatam, si præjudicans ambulare nosset, omnes ejusdem cruditates jam fuissent concoctæ, ut non contra, sed secundum Hippocratem (ἡ εὖ) bene admitteret, è somniis fuisset expergefactus, & ludicra cameræ obscuræ phantasmata, luce hac admissa, sponte disparuissent. Qua ratione vere non solum is προεξευκείνας, sed ipse Hippocraticus προεξευκένῃσας factus, peritiam tempestivi purgantis, propter orgasmum, potius laudasset, multo minus vero auri fulminantis usum legitimum in B. virgine improbasset. Verum enimvero, quod schedium προεκκρίσεως contrarium doceat, ratio est, quam illa disputatio etiam ipsa detegit, quod ab hac via laudabili mox declinet, adque *fabularum & insomniorum infrunitam licentiam* revertatur. Hinc quidem in Propemptico de Historia Medica Practica rectissime pro eadem commendat

(a) Raymundi Fortis, & Lælii à Fonte Consilia, Wedelium, Etmüllerum; quibus προεξευκένῃσας Hippocraticus Platerum, Riverium, Tulpium, Willisium, Lossium annumeravit. Verum ille aliis tantum spartam hanc demandat, quibus tamen eam invidet, ipse stat post principia. Quamobrem vix satis mirari licet, quod schedium illud tam plane jejunum, & similibus Doctorum laudatorum testimoniis omnino vacuum, opponere non erubuerit;

cerebrinis historiis tantum prolatis contentus, potius illorum virorum, sicut Sennerti, experientiis & observationibus imperite contradicens. Adeoque frustra rationes urget, iisdem ipse qui nec usus fuit, nec uti novit; neque talibus refutandum est schedium, ipsum illis omnino destitutum. Rationes enim medicæ, experientiæ & observationibus practicis contrariæ, non rationes sunt, sed tantum *probabilia rationum figmenta, & opinionum somnia diurna*, seu deliria.

(a) Nam verissime, secundum Disp. citat. §. XI. p. 13., *Empiria* (seu potius experientia) *universalis tam vastum est negotium, ut vix ab humanitate, quid dicam uno homine, possit expectari.* Quapropter medicus eruditus morborum historias non cerebro suo fingat, cum ne numerosa quidem praxis unius medici, etiam senis, eidem sufficiat, sed alii quoque scriptores propriæ praxeos observationibus sunt conferendi & conciliandi, & hinc consulendi. Talis est vere *πολυμαθές ἄλλος* medicus.

§. XV. Denique illa quoque *προεγκρίσεως* cruditas notatur, quod secundum Observationes suas menstruas tam numerosam praxin jactet, quod in *oppido* Vinariæ tribus quatuorve annis 2000. sola febre petechiali laborantes, & quidem omnes feliciter, curaverit: Nihilominus his contradicit, quod per hoc mordax schedium morborum historias tantum generales, & quidem cerebrinas, omni praxi reclamantes, proponere debuerit, observationes autem speciales praxeos propriæ afferre minime potuerit. Vix igitur satis mirari licet, quod harum loco ipse observationes alienas, vix tales dicendas, recensere maluerit. Quarum quippe prima est alius *medici, de puero decenni, in oppido* sine dubio, aut fortassis pago; altera de viro vere *πολυμαθές ἄλλω*, Wedelio, cujus tamen ne quidem discipulum quondam se laudare potest, quid dicam medicum. Hic Rhodus, hic salta! Cum ipsum hoc schedium de historia morbi B. virginis hujus urbis fidem adversarii suspectam convincat, quis eidem meliorem de historiis externis habere potest, quas ne quidem rudi capite suo affecutum fuisse, medicinæ peritis ipsa illarum enarratione prodit.

§. XVI. Quapropter eo minor eidem causa subesse potuit, quod observationes meas proprias non tantum in *oppido* Naumburgensi, sicut ille fugillat, sed in hac etiam urbe, neque *crassorum saltem opificum*, tantum in genere tanquam *aniles historias* cavilletur, eisdem vero contrarii nihil opponere valuerit.

Eundem ne quidem convenientem medicam observationem conscribere addidicisse, ipsa morbi historia, de B. virgine in *πρε-
εξήγησης* proposita, ostendit. Nimirum, secundum analogismum suum medicinæ, ex jurisprudentia cautelas rabularum ex Cæpolla observat, qui quando solidi nihil replicare norunt, ut cati calidiorem pulvem haud attingere audent, ne os comburant, sed tantum è longinquo circumambulantes, generalibus tantummodo sermocinationibus, dicis causâ, laceffunt, ne omnia tacite concedere videantur. Equidem mihi controversiam movet de unica quidem Aegr. III., J. U. Professoris filiola, cujus ipsam veritatem, pro præjudiciis suis incredibilem, in dubium vocat, & omnino non nitro, ut quidem elixirio castorei volatili, peragendam. Sed, ut omnem scrupulum eximam, nominabo jam Dn. Parentem D. Goetskium, J. U. Professore, quem, quisquis velit, percontari potest. Turpitudinem mendacii similem, quam, cujus de formula medicamenti maxime controversi, adversarium mox hoc scriptum convincet, nemo de me unquam experietur, & ut quis experiatur, DEus clementissime prohibeat. Interim accipio, quod reliquas observationes illius Dissertationis meæ de Orgasmo concedat, nihilque ipsis reponere noverit.

§. XVII. Propterea concludo: quæ argumenta tam in Dissertatione dicta de Orgasmo, in febribus purgantia urgente, pro tali, quam in hoc quoque defensionis scripto, quibusque in B. virgine aurum fulminans haud intempestivum noxiumve laxans fuisse, convici solidissimis fundamentis, nulloque modo convellendis gaudere, ut ea, tam quoad formalia quam materialia, firmissime concludant. Etenim illud, methodo veritatem in medicina demonstrandi, ab omnibus canonicis Doctoribus probata, & unice probanda peregi, adeo ut vel ipse medicinæ analogismus cum jurisprudentia, quem ipse adversarius opposuit, illam longe magis corroboraverit. E contrario elucet, adversarii verbosas tantum sermocinationes, quas mihi solum objicit, rixosarum vetularum modo jurgia referre, quæ talibus plebejis sarcasmis ingenii sui acumen ostendere solent, rationes autem, concludendi efficacia haud destitutas, in schedio verè *προεκκρίσεως* crudæ, universo omnino desiderari.

Epilogus L. B. personalium admistionem excusat, simulque ineptias simioli, die Albertäten des Deutschen D. Michel Alberts/ brevissime castigat.

§. I.

Προεγκρίσεως equidem diagrammate adhuc plura supersunt, quæ responsionem meam postulare videntur. Sed, L. B., ne patientia Tua nimis abutar, iisdem supersedere visum fuit, cum iis, quæ controversiæ nostræ ordinem tangunt, abunde me satisfecisse credam, & jam prolata ostendant, neque reliquis responsionis copiam, sed paginas, defuisse. Præcipue vero filum abrui, quod adversarius tam odiosa personalia suis admiscere non erubuerit, multisque modis me stylo pari eadem aliquantum compensare coëgerit; cui rei quidem omni modo temperare studui; hujus enim farinæ plura facile succurrerunt. Quam rem etiam atque etiam propterea maxime doleo, quod illa neque viris eruditis solita sit, nec eosdem deceat aut conciliet, quorum ingenia sobria similes, non tam disceptationes, quam aniles altercationes, nauseare potius atque indignari consueverunt. Cum tamen alias controversia nostra reapse quæstiones agitet nobilissimas, quippe praxi medicæ utilissimas, quorum pleniori discussione orbi medico toti gratificari liceret. Ex qua igitur

Non tam turpe esset vinci, quam contendisse decorum.

§. II. Sane Dissertatio mea de Orgasmo animo tantum famam meam contra calumniatores defendendi conscripta, sicut nunquam & nusquam ullum honestum virum lacescere intendit; ita turpissimos tales sarcasmos, plebejis vetulis solennes, omnino fugit, multo minus similibus provocasse dici potest. Quod si vero eadem, præter opinionem meam maximeque culpam, adversarium aliquomodo tetigisse visa fuisset, idem contraria sua, cum quodam etiam acumine, modo civili, nec eruditis indecoro, regere potuisset; profecto consultius, majorique gloria, quam quod, quasi Xantippæ cujusdam instinctu, impetu jurgioque, notorie falsa personalia mihi exprobravit. Quam etiam victoriam hinc reportat, nisi quod durissimo hoc impetu mihi extorta echo, singula

gula conduplicata convenientius, majori veritate meritoque in ipsum retorquere potuerit; ut præterea tantum extrema ejusdem *incogitantia* (major quam *natura moralis*) cuivis ob oculos ponatur. Pretiosius utrique nostrum tempus esse arbitror, magisque medicinam excellentibus impendendum, quam quod plebejorum scurrarum more sugillationibus & cavillationibus perdatur. Si scribendum videtur, scribantur erudita; si aliorum à nostris dissentiant, modeste, nec acerbis facetiis refutentur, levissima vaniloquentia & jactatio circumforaneis relinquatur, nec somnia quæcunque delirentur, & quæ modo in buccam veniunt, deblaterentur, & tum ulteriorem responsionem, alias à me vix expectandam, haud detrectabo, cum Cicerone refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia paratus. Quam crudissima *προέκκρησις* est, adversarium non posse de seipso judicare, quorum causa theologos, aliorum refutationibus religionis modum excedentes, allotria plane censura castigare ipso non veretur. *Quod scilicet (a) illi centies recocta non tam rescribant, quam describant, peritioribus vero nil, nisi mores, ab humano consortio alienos, & animos non indoctos magis, quam incultos, ob oculos ponant.* Hypocrita trabem prius ex oculo extrahas, & deinde demum respicias, ut festucam ex fratris tui oculo extrahas.

(a) in Vindiciis Scriptorum suorum p. 9.

§. III. Quantis autem ineptiis (*Albertaten*) nomini meo, sicut ante *Pancratii*, sic *Lupi* denique, *quasi belluino* illuditur? Cujus me minime pudere potest, inprimis, quod familiæ nostræ primus, Lusatus, hoc cum suo veteri, & eo quidem humano, commutaverit, ex ea ratione, quoniam lupum in sylva sibi homini hominem fuit expertus; sicut ego jam contra experior, homines mihi homini lupos, quinimo sylvestribus lupis crudeliores, qui me *καταβραβεύειν* conantur, *θέλοντες ἐν λαπρωφροσύνη κὲ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἐωράκασιν, ἐμβαλεῖν οἷος, ἐκτὴν φροσίσμενοι, ὑπὸ τῶν νόων τῆς σαρκὸς αὐτῶν*; quique sub ovinis pellibus corda ferorum luporum cordibus ferociora gerunt, sicut ex malignis his fructibus iidem agnoscuntur. *Sine diabolo quidem defensio sua deneganda est*, multo minus neque lupo, qui contra primos suos aggressores se defendere vult, satagit valetque; sicut etiam *minime non debet* secundum ipsum jus natulale, *quod omnia animantia docuit ipsissima natura.* Quod itaque nominis mei omen, hoc etiam in negotio, adeo mihi haud turpe est, ut potius gloriosum sit, quod quasi os meum instar *lupi* validis *dentibus* sit instructum, quibus famam meam, ipsa vita cariorem, contra immeritas, prorsus temerarias ferocissimasque, quasi

procacium grassatorum aggressiones mascule pancraticeque defenderit ac defendere voluerit.

§. IV. Quibus hinc *dentibus*, Dei gratia, *neque à ferro neque à chalybe obtusis*, sed acutioribus redditis, jam male mulctandus esset *dysergus ille mystagogi sui simiolus* (merito præeunte Baglivo, (a) sic dicendus,) *ille in nostris temporibus Teutscher Docter Michel Albert* / ut pro merito ineptiarum suarum, (alberttāten) nominis hujus omni omnino respondentium, *sua quoque*, & quidem secus ac *Galenus*, acciperet, cum præter omnem minimam offensam, me ludificare cœperit, neque cessat. Sed *Lupus quæ vult, cogitat*, hinc recogitat, quid *dentibus suis faciendum sit*; quapropter is abhorret, iisdem cum stercore certare; à quo, seu vincat seu vincatur, modo commaculetur. Nobilioris usus ille dentes suos æstimat, utpote quibus puellorum dentientium intolerabiles pruritus magis mitigantur, & quasi *nitro contemperantur*, ne miserrimis clamoribus suis aures prudentum molestissime defatigent, eorum seria negotia interturbent, aut prorsus epileptis sensus suos omnes perdant. Etenim sive *dysergus asinus* me calcitret, sive ineptiens *simiolus* ludificet, secundum *mysterii naturalis*, & tamen *moralis somnia vere diurna*, utriusque *natura seu anima immaterialis*, imò *rationalis, intellectu quidem ac voluntate gaudet, sed haud cogitat*. Quasi vero secundum omnes sobrios philosophos non solum *Hippocratem*, nisi fortassis *Onocratē*, intellectus & voluntas non sint ipsæ cogitationis (b) partes. Sic psittaci garriunt sine sensu, quæ non capiunt, simiolique ludicris ineptiis imitantur, quæ non intelligunt. Quanta quoque dementia *causæ physicae*, ut *morales, denegata ipsis cogitatione*, finguntur, quæ tamen omnium moralium humanorum actuum ipsa radix est, & substantia? Quantaque esset desipientia philosophiæ illius moralis, quæ cum *mysterio naturæ immaterialis morali* doceret, magistram imitari, agentem ea, quæ non debet; quibus illa necessario peccaret, & ad peccata pessime abduceret.

(a) qui Prax. Med. L. I. C. V. hæc habet: *Inanis gloriæ desiderium fuit simia, quæ medicos omni etate compulit, ad sectas potius condendas (& theorias novas effingendas,) quam ad nova indies detegenda phenomena, quæ morborum historiam illustrarent, confirmarentque. Qui ad libitum ita (NB) naturam fingentes, indigestis potius meditationibus suis eandem evertunt. Affecte vero (juniores simioli) vana quadam hallucinati reverentia, partim ignavia, ab investigatione deterri, memoria magis quam ratione utuntur, hinc eorum præcipui conatus ad id collimant, ut tantum ediscant, quid autor ille sentiat, quid autem sentiendum sit, ignorant; unde satius ducunt, dum antagoniste nervosissimam affectant, simplicismos Præceptorum, quasi pædagogorum suorum, compilatores agere.*

(b) Confer Illustris Strykii nostri de Jure Sensuum Diff. X. C. I. n. 10. & Cogitationum nostrarum Medico-legalium de Cogitatione C. I. §. III. p. 14.

§. IV. Hoc modo autem, si perversa naturæ suæ imitatione virum honestum, ut homicidii reum, minorennis adolescentulus calumniatur, virgis severissime castigari, cum majorennis fustigationis pœnam pendere debeat, actione injuriarum criminali sic accusante. Verum, cum brutus hujusmodi homuncio sine cogitatione, non vere, sed tantum quasi velit, & sic alia potius causa, quam vera voluntate, & hinc extra crimen, peccet, tanquam furiosus menteque captus, quem jura infanti equiparant, eundem non solum restitutionis ex capite minorum annorum & ignorantie, sed etiam propter consilii omnimodam inopiam, commiserationis beneficium tueri debet.

Inprimis cum simiolus hic tantum *ex accidenti* peccet, quoniam ipsius voluntas *accidens* est, non substantia. Etenim secundum ineptias (*Ullbertäten*) *energiam naturæ* titulo ferentes, sed dysergiam ejusdem ridiculis nugis obgannientes, *accidens prædicabile à prædicamentali non distinguitur*. Quis satis mirari potest, muſtaceum doctorculum tam cruda *πρὸς ἑαυτὴν* ferulam scholasticam, nondum completo lustro, effugisse, ut *logica, neque docente neque utente*, jam uti norit. Quæ, fundamento hoc deficiente, medicinæ soliditas unquam potest superstrui? Quamobrem quoque tantum unius cursus medici & solius mystagogi disputationum, quasi catechetica præcepta, instar mysteriorum, omni ratione reclamante, modo credenda memorantur ab ipso, unice compilantur & *deblaterantur*.

§. VI. Qualis quidem simiolus naturalis per desipientiam suam possessiones meas *agrorum & vinearum*, ut *turpes*, ludificat, sed quæ in urbibus etiam quibusvis, ut honestissimæ, magni existimantur. Ille potius laboret, ut à fundorum possessoribus mercedula fruatur, *ſinum in eorundem vineas deportando*, ut *naturam putredinis materialem*, quam spisso capiti suo, melius tergo suo, imprimat, ad minimum à *focero globulos consuendi officium* plenius perdiscat, ut *motus non incorporeos*, sed *corporum accidentia*, non tamen semper *accidentaliter contingentia*, satis capiat. Qua ratione conscientia suæ melius consulat, quam quod, secundum *disputationem suam inauguralem*, tantum nova det *errorum medicinæ practicæ specimina*. Siquidem *ἀνολογία* natura, utpote *medicina sine medico*, dysergo tali ministro non indiget, nec ipsi periclitanti ministrare novit, qui vice illius tum *obstupefactus*, illam officio suo magis deferit, quam ipsa *tonum deferere* fingitur. Qua ratione omnino fere omnes paulo graviores morbi prorsus sunt iucurabiles, totique febrium quarumlibet *turmæ artis suæ* sic omnino deficientis *auxilium omne*, ultro & *aperte denegatur*; sed tantum à *medicis sine medicina*, secus quidem ac aliis cum eadem.

§. VII. Quis autem sanæ mentis dubitet, revera hos ipsos, nec alios, esse illos malos medicos, quos malis navium gubernatoribus similes Cœus parens (a) vividis depingit coloribus? Quod tantum curent homines (per *ἀνολογίαν* naturæ adhuc constantem) nihil grave patientes, in quos si quis etiam maxime delinquat, nihil grave faciat, (*ἀνολογία* natura ipsa sponte opitulante.) Sunt enim multi tales morbi, (etiam acuti, seu febriles) & multo sæpius quam graves hominibus accidunt. In talibus sane delinquentes, (illi medici, dicis caussa, *sine medicina*, & *ἀνολογία* natura tantum freti) non sunt idiotis hominibus manifesti. Ubi autem obtigerit magnus, fortis & periculosus morbus, (maxime acutus & febrilis, cum lipothymiis frigidisque sudatiunculis, sicut in B. virgine, natura haud *ἀνολογία*, sed impari, quin imo tonum obstupefacta deferente, ac medico ipsam) tunc ipsorum delicta & ars omnibus in conspicuo sunt. Quando scilicet natura morborum medicatricis non imitatione, sed turbatione, motus critici sudorum, jam tantum parvorum, nitro (b) non solum magis *contemperantur*, sed plene supprimuntur, lipothymici ac perfrigerati, propter motus vitales jam nimium *contemperatos* plenissime perfrigerantur, ut nunquam recalescant. Quomodo denique iidem in asphyxia jam nimium depressi, frequenter destructi, ut *tonum ægrotum* deferant, ultimo complemento adeo *contemperantur*, ut materia semel immobilis facta motus omnes, magis autem *incorporeos & naturæ immaterialis moralem energiam* omnino frustretur, eludatque, exindeque cum æterna ægri asphyxia *spasmi tonici corporis mortui* (materialis quidē & naturalis, sed

secun-

secundum naturæ mysterium novum, neque mixti, neque vivi, unice terra nitrosa per sepulturam sint contemperandi.

(a) secundum Hipp. de Vet. Med. XVII. Vol. I. p. 22. quem quidem locum ipsa *προεξεργασίς* mihi objicit.

(b) in Disp. de Vena Portæ p. 55. nitrum, sensu temperatissimo frigidulo, ad contemperationem motuum exacerbatorum efficacissimum laudatur.

§. VIII. E contrario artis periti (a) medici naturam vere, factis scilicet specialibus. non tantum sermocinationibus generalibus, imitari callentes, neque solummodo ejusdē *ἀντομογενείᾳ* confisi, auro fulminante illam stimulant, si sit ipsa impar, ut non spontanea eruginosos acres, venterculum rodentes, nulloque modo concoquendos, amovere possit, quo necessitatibus hujus lenissimi cathartici, à medicina (non sine medico) inventis, illos per vomitus dejectionesque dimittat & excernat. Quomodo deinde natura etiam, artis peritis facienda demonstrans, crisibus suis laudabilium sudorum præit, elixir potius castorei volatili diaphoretico sudores parvos frigidosque imitatione & ministerio medico naturæ supplere, quo calidiores, largiores sufficientesque critice fluant, exinde lipothymici & perfrigerati recalescant, motus vitales pulsus & circulationis sanguinis nimium contemperati refuscitentur, asphyxia solvatur, febris laudabili sudore judicetur, ægerque convalescat. Hæc Hippocrates, omnia vera dicens, verissime inculcat, his universa medici orbis cohors adstipulatur, his denique calculum suum addunt doctissima duarum consultissimarum Facultatum Medicarum Responsa; solus autem adversarius singulari sua cruditate præjudicans, cum ridiculo simiolo suo reclamatur. Verum quibus mens sana, cogitatio ratioque constat,

Utris creditis?

(a) Hipp. de Arte XXI. 33. Vol. I. p. 13.

Finis

D. S. S. L. E. G.

Errata.

)(1. b. lin. 10. dederiores lege deteriores. lin. 11. fano lege sane. lin. 20. qnam lege quam. pag. 11. lin. 8. illamque lege illudque p. 12. lin. 10. lipothymias adde per p. 13. lin. 2. per hanc lege per hoc p. 22. lin. 34. quoddum lege quandam p. 23. lin. 2. ; deleatur. p. 28. lin. 36. paratis lege parotis p. 31. lin. 6. Dominam lege Domium p. 33. lin. 8. volunt adde præjudicantes p. 36. lin. 25. aliis lege alius p. 39. lin. 13. de acrisiis adde neque hæc mea lin. 27. inter alios lege inter alias l. 35. concludit lege concludit p. 42. lin. 8. repetitus, adde legitur lin. 10. alias lege alius lin. 16. furiosus adde Syncretismus p. 43. lin. 21. Quinimo adde S. p. 48. lin. 32. fudor lege tumor p. 57. lin. 24. vera lege vero p. 61. lin. 13. alios lege alias p. 66. lin. 2. cras lege crus lin. 34. nimirum lege minimum p. 68. lin. 8. non deleatur. p. 75. lin. ult. paradoxæ modo lege paradoxo modo, lin. cad. n. ovitati lege novitati. p. 76. in summe, lege in summè. p. 78. lin. 30. *προεξεργασίς* lege *προεξεργασίαν* p. 80. lin. penult. nudiis lege nudis.